





1871



1871





Castillo



Societatis Jesu. Bongi. 1862.

12

ASSERTIO
Catholicæ fidei cir

CA ARTICVLOS CONFESSIONIS
NOMINE ILLVSTRIS SIMI DVCIS VIR-
tenbergenſis oblata per Legatos eius Concilio Triden-
tino, XXIIII. Ianuarij Anni M. D. LII.

Accessit his defenſio aduerſus Pro-
legomena Brentij.

Auctore F. Petro à Soto, ordinis ſancti Do-
minici, profefſore Theologiæ.

Quid liber contineat indicat ſequens pagina.



ANTVERPIÆ.

125100

Apud Martinum Nutium ſub Ciconijs.

Anno Salutis. M. D. LVII.

Cum priuilegio Regis.





Index capitum vtriusque confessionis. Prior numerus designat Vvирtenbergensem, alter verò Catholicam.

1	Confessionum prefationes.	fol. 1.
2	De Deo & tribus in vna diuinitate personis.	6. 6.
3	De filio Dei.	6. 7.
4	De Spiritu sancto.	7. 7.
5	De peccato.	fol. 7. 9.
6	De iustificatione.	10. 12.
7	De lege.	14. 15.
8	De bonis operibus.	17. 19.
9	De Euangelio Christi.	21. 23.
10	De Sacramentis.	fol. 25. 25.
11	De Baptismo.	25. 28.
12	De confirmatione.	31. 32.
13	De pœnitentia.	34. 34.
14	De contritione.	34. 37.
15	De confessione.	38. 42.
16	De satisfactione.	46. 46.
17	De oratione.	47. 48.
18	De ieiunio.	49. 49.
19	De elemosyna.	49. 50.
20	De Eucharistia.	fol. 51. 58.
21	De ordine.	63. 65.
22	De coniugio.	66. 70.
23	De extrema vnctione.	72. 72.
24	De inuocatione Sanctorum.	73. 76.
25	De memoria defunctorum.	79. 81.
26	De purgatorio.	83. 85.
27	De votis monasticis.	86. 88.
28	De horis canonicis.	90. 92.
29	De ieiunio iterum.	94. 96.
30	De consecratione aquæ, salis, vini, herbarum & aliarum rerum.	98. 99.
31	De sacra scriptura.	101. 104.
32	De summo pontifice.	107. 110.
33	De Ecclesia.	112. 118.
34	De consilijs.	122. 126.
35	De scriptoribus ecclesiasticis.	128. 130.
36	De ceremonijs ecclesiasticis.	132. 139.
		Illustrisi.

ILLVSTRISSIMO PRINCIPI

PI AC DOMINO D. CHRISTO-

phoro Duci Vvирtenbergenfi, & Teccensi, ac Comiti

Montis Beligardi, F. Petrus de Soto.

S. D.

M Iraberis optime Princeps, quòd non solum tibi scribere, sed & has qualescunque meas lucubratiunculas nomini tuo dicare ausum, homo & ignotus & advena: sed audi obsecro paucis, quid ad hoc agendum consilium, & audaciam mihi subministraverit, spero pro tua singulari humanitate, prudentia, candore animi, & cæteris dignis principe virtutibus, non futurum tibi animum meum ingratum, etsi opus ipsum quantum probaturus sis promittere mihi non audeam. Hoc duntaxat possum certo testari, omnia mea in hoc opere ex bona cōscientia, & animo in tua obsequia promptissimo, ex ardētis salutis tuæ desiderio proficisci. Audi igitur consilij mei rationem. Circumfertur per omnium manus libellus, non latine solum editus: sed, ut audio, etiam Germanice, cui hic est titulus: Confessio piæ doctrinæ, quæ nomine illustrissimi Principis, ac domini D. Christophori Ducis Vvирtenbergenfis, & Teccensis, ac Comitis Montis Beligardi, per Legatos suos die xxiii. mensis Ianuarij, Anno. m. d. lxi. congregationi Tridentini concilij proposita est. Post hunc titulum in prefatione libri, tū ipse loquens, insinuas iussu tuo, ditionis tuæ concionatores summam doctrinæ, quam in Ecclesijs docent, conscripisse. Quam tibi placuit publicè etiam proponi, atque edi, non solum ut Cæsari, ac reliquis Romani imperij statibus, quibus visum est, ut singuli commemorarēt si quid haberent quod ad pacem Ecclesiæ, vel tranquillitatem conscientie pertineret, morem gereres: sed etiam ut ostenderes eo libello vniuersæ piorum Ecclesiæ, nihil esse in vestris Ecclesijs, quod non consentiat cum scripturis Prophetis, & Apostolicis, & sensu verè catholice Ecclesiæ. Hic igitur libellus ut primum in manus venit, visus est mihi, ab omnibus

A 2 ad

EPISTOLA.

ad quos deueniret, propriæ fidei confessionem exigere, atque adeo ad eam profitendam omnes astringere. Est enim, dū hac spe proponitur, quod probandus sit ab omnibus pijs, quasi interrogatio quedam de fide, nec interrogatio solum, sed exactio etiam talis, cui si semel perlectæ non contradixeris, videris consentire. Quia igitur fides ad salutem confitenda est: nec cuiquam licet interrogato de fide, vel metu, vel verecundia, non eam fateri: putavi mihi, vt qui ea legissem, & vnus esse cuperem veræ Ecclesiæ filius, incumbere, vt responderem de fide, non singulariter mea, sed catholicæ Ecclesiæ, in cuius vniōne, Deo propitio, ab ipsis incunabulis vixi, cuiusque doctrina inter antiquos eius doctores sum ab adolescentia nutritus. Hoc itaque illi me debere putabam, vt quod certò didici, eam sentire circa illa, de quibus liber hic interrogat, dicerem, & pro capto meo confirmarem, præcipue dū alijs intenti hoc non agunt. Hoc consilium tibi optime Princeps non probari non debet, in quo propter illa, quæ de confitenda vera fide sacræ literæ nos docent, tuum exemplum & exhortationem secutus sim. Tu enim secularis Princeps, & ab Ecclesiæ functione, vt ipsemet fateris, discretus, putasti hoc nomine & Deo, & Ecclesiæ tua studia probata efficere, si curam piæ doctrinæ instaurandæ & propagandæ impenderes, quum non desint tibi multa, & priuata, & publica, quibus tuā pietatem erga Deum, & Ecclesiam manifestes. Quod eum ita sit, quo iure reprehendere poteris Ecclesiasticum hominem, & vnius scripturæ, & sanæ doctrinæ studijs dumtaxat per totam vitam deditum, quod non vltro, sed interrogatus respondeat de fide tibi, Ecclesijs tuis, omnibus denique ad quoscunque peruenierint hæc scripta, pro catholica Ecclesiā? Hoc est enim, quod non exemplo tuo dignus ille Deo Rex, & Ecclesiæ Psalter docuit, ad Dei misericordiam conciliandam vnicè prodesset: Annunciant, inquit, iustitiam tuam in Ecclesia magna: Ecce labia mea non prohibebo, Domine tu scisti: iustitiam tuam non abscondi in corde meo: veritatem tuam, & salutare tuum dixi: & mox, quid sibi propter hoc à Deo sperandum sit subiungens ait: Tu autem Domine ne longè facias misericordiam tuam.

EPISTOLA.

seruationes tuas à me. Misericordia tua, & veritas tua semper susceperunt me. Sed & illud Princeps illustrissime consideravi in tuo hoc edendi, Confessionem hanc, coram totius Ecclesiæ conuentu exhibitam, proposito, quod cupias ad eam recipiendam alios adducere, hoc est, ea quæ tibi persuasa sunt, cæteris persuadere: nec enim satis tibi visum est, si fidem tuam testareris coram Ecclesia, quod est Principis ingenui, & Christiani, testimonium conscientie suæ audientis. Sed addidisti, vt exhiberes omnibus vulgari etiam lingua legendam, quod non aliò reuera tendit, quam vt persuadeat, vbi virgentior iam causa, & instantior nobis oblata est respondendi. Quum enim agatur communis causa salutis omnium, dum agitur causa fidei, sine qua impossibile est placere Deo, quis dubitat ad omnes Christianos pertinere, vt pro virili sua coram ijs maximè veram fidem asserant, quibus alia proponuntur, quique iudices constituuntur reiiciendi antiqua, recipiendi noua, vbi seipsos etiam iudicaturi sunt, si vt scriptum est: Qui non credit iam iudicatus est, qui autem credit non iudicatur. Quia igitur lectores confessionis huius iudices efficiuntur etiam à te ipso generosissime Princeps fidei, & salutis suæ, par est, & æquum, vt quod nosti, & præstas in prophanis iudicijs, non patiaris modo, sed gratissimum habeas in hoc tanto iudicio, vt, non desit aduocatus alterius, vt ita dicam, partis, quæ agitur rea. Tui concionatores te auctore causam proponunt contra Ecclesiam catholicam, prout illi dicant, probandam à legentibus. Non igitur æquum est, vt desit qui pro catholica Ecclesia respondeat. Et tibi certè Dux inclyte non contemnendum, neque exiguum exhibet officium, qui hoc agit. Nam & tu ipse vnus es ex ijs, qui iudiciū illud assumunt, atque de fide, & salute sua nunc denuò decernunt. Quomodo ergo non omnibus modis tibi obsequium præstas, & in te officiosissimus es, (quod nos teste conscientia ardentem etiam cupimus) qui hoc conatur, & agit, vt de salute tua æterna non censeas, nisi auditis omnibus, quæ in vtranque partem, non dicam adduci possunt, sed saltem modeste adducuntur? Tua in primis causa agitur Dux optime, & omnium

EPISTOLA.

nium quotquot Christiano nomine censemur. Necessè est enim omnes catholicæ Ecclesiæ præfules, principes, & populos, atque adeo proavos ipsos tuos, & tuorum in æternum perire, aut te, tuosque, si verum est, prout non potest non verum esse, quod Christus inquit: Qui non est mecum, contra me est: Qui non colligit mecum, dispergit. Hoc cum vtrunque confiteamur, necesse est omnium testimonio maximam esse hanc causam, summam, & arduam, in qua de re summa omnium simul à Christo vsque ad finem sæculi, fidelium agitur, & quod ad singulos atinet, de eo, quo amisso, omnia amissa sunt, quo habito, nihil potest amitti, animæ videlicet æternæ salutis. In hac causâ iam diu antea re vera definita, qui antiquæ Ecclesiæ coniuncti sunt, qui eius vnica auctoritate contenti, nolunt nouum instituere iudicium, nolunt denuo sedere vt iudices, sed alijs tantæ rei summam deferentes, eos malunt sequi. Qui verò noua audire libenter cœperint, quid aliud, quam vt ipsi de nouo iudicent, agunt? Quod si ita placet, si ita demum tibi etiam inter reliquos visum est, vt iudicem te constituas propriæ salutis, libeat saltem audire vtramque, quod aiunt, partem. Nec enim ignoras, quum neque iudicium, nec studium verâ agnoscendi tibi desit, hanc rem controuersam esse. Hinc tuos, & similes omnes post Lutherum hæc docentes stare, inde verò multo plures, & nunc præfules, & ante Lutherum ortum à trecentis vt minimum annis, vt vestri asserunt, & vt nos credimus, à mille & quingentis omnes fideles sese opponere. In hac igitur tanta causâ, & ob rem de qua agitur, & ob eos, quos respicit, & ob testes, atque aduocatos per quos agitur, quæ omnia summa sunt, audi obsecro per Christum, & per tuam ipsius æternam salutem, sapientissime Princeps audi, non me duntaxat, qui ingenuè fateor, parum præstare possum, sed doctiores quosque & magis pios, vndique etiam, si opus est, aduoca, require ab sentes multo seriùs, quam in causis grauissimis temporalibus agis: audi, inquam, illos quiete seorsum: absque arbitris expende cuncta in vero timore Dei, quasi ante tribunal Christi ora ipsum, ne permittat te in tanta causâ errare. Tum si placet

EPISTOLA.

placet iterum audi tuos, & ita denique inter vtrosque sede arbititer, non enim eorum est causa, sed tua. Noli sedens apud te ipsum, & inter tuos duntaxat, recenti huic, & noue causæ addictos, aut quod magis timendum est, sensu, sollicitudinibus, & delitijs sæculi huius occupato, facillè censere de salute tua. Quod si à te obtinuerò generosissime Princeps, gratulabor tibi certè multò magis, quam mihi, & mihi quantum de villa quæ contingere posset felicitate. Quod vt obtineam, offero tibi animum meum salutis tuæ cupidissimum, offero studium omne, vigilias, & otia, atque negotia, in tuam salutem precibus coram Deo promouendam. Quid enim potest tanto Principi pauperculus monachus offerre, aut cur hoc ingratum sit tibi futurum, quoniam alia, quam tu, sentio, alia sequor, & doceo, quam tui non potest iudicij hæc, & sensus diuersitas extinguere charitatem Christi, aut contrahere Christiana viscera, & quod veraciter coram Deo fateri possum, mea quanquam angusta satis, & pro Christi in nos omnes beneficijs, quod vehementer doleo, nimium exigua, & tamen ea quantulacunque non se continent, quin tota gestiant, in tuam se effundere amandam, desiderandamque gloriam, & felicitatem. In quorum omnium testimonium, quia aliud non habeo, suscipe hunc libellum, de tua Confessione, pro tua salute, à tantillo hoc, sed tibi deditissimo, seruulo. Non verò hoc agit libellus iste, vt oppositæ sententiæ satis putes te audisse causas, quasi is sufficiat tantæ rei dignè agendæ, cui ipse eius auctor non sufficio, sed vt saltem eo, si ita dignaberis perlecto, monearis ad audiendam maturius hanc causam. Ideo enim ita scriptus est, vt ex vna facie concionatorum tuorum confessionem ostendat, ex altera catholicam, & doctrinæ tuorum catholicam doctrinam auctoritatibus scripturæ, auctoritates non pauciores, testimonijs patrum, testimonia pariter opponat. Quæ si quasi in bilance vtrunque appenderis, spero agnosces saltem non omnia manifesta, indubitata, certa esse, quæ tui talia affirmant. Atque ita suspendendum saltem esse iudicium, quod si neque hoc obtinere possum, quod tamen pro tua non satis prædicata æquitate obtinerem in causâ,

Hæc habuit
ordinem in
Coloniensi
prima edi-
tione, quem
iustis de cau-
sis in hac se-
cunda repu-
diauimus.



EPISTOLA.

quæ subditum aliquem tuum contingeret. Hoc tamen ob-
tinere, ut per te liceat alijs hoc agere, ut sicut in proverbio
est, vni vnam, alij alteram præbeant aurem. Vale optime
Princeps, & boni consule, quæ nullo fūco, nullo supercilio,
nulla aut eloquentiæ, aut sapientiæ propriæ fiducia, sed syn-
cero animo tuæ salutis, & aliorum auido, simplicius fortè, &
verius, quam prudentius sunt dicta.

Confessionis.

AD LECTOREM.

Habes in hoc libro, candide Lector, breuem Catho-
licæ doctrinæ, circa ea, quæ hoc tempore controuer-
tuntur, explicationē, et cōfirmationem. In qua quod
contra fidem Orthodoxam in Confessione VVirten-
bergenſi est, ostenditur, & confutatur. Idque sit ca-
tholicæ fidei dilucida duntaxat assertione, scriptu-
ræ, & patrum testimonijs roborata. Ea autem habes
hoc ordine: Primo loco præcedenti folio, Epistolam
ad illustrissimum Ducem, de necessaria ratione hæc
assertionem edendi, & de periculo nouis his doctri-
nis sese credentium.

Secundo, præfationem ipsius ducis VVirtenbergen-
ſis de ratione illius in publicum euulgandæ, & dein-
de præfationem huius assertionis, de modestia præci-
puè, mensuræq; principum circa fidei doctrinam.

Tertio, habes ordine singula capita Confessionis
VVirtenbergenſis, & postea Catholicam circa illa
sententiam, ut dictum est, confirmatam.

Quarto denique, in quaque pagina scholia catho-
lica, siue ad VVirtenbergenſem Confessionem, siue ad
nostram catholicam Assertionem pertinentia: qui-
bus & breuiter deteguntur, & diluuntur quæ illi
cōtra catholicam fidem aut apertè, aut clām moliun-
tur, & multa scripturæ, & patrū loca explicantur.

B CON.

CONFESSIONIS VVIR TENBERGENSIS PRAEFATIO.

CVM agnoscamus, nos diuina clementia ad gubernaculum nostrae regionis ac Reip. vocatos, nihil prius haecenus duximus, quam vt coram Deo patre domini nostri Iesu Christi, & vniuersa eius Ecclesia, studiū nostrum in excitanda & propaganda verē pia doctrina, quibuscumq; possemus officijs testificaremur. Et si enim nō ignoramus, b suū esse discrimē inter Politicā & Ecclesiasticā functionē, tamen cū Psalmus nos grauissimē hortetur: Nunc reges (inquiēs) intelligite, erudimini qui iudicatis terrā, seruite domino in timore & tremore: non debuimus caelestem vocē contemnere, sed omnem conatum & operā nostrā, ad iuuandum veram Ecclesiā filij Dei, pro virili nostra cōferre. Alij alias quidem rationes inire solent, quibus cogitant se filio Dei & Ecclesiae eius studium suum probare. Nos autem iudicauimus, ad veram Ecclesiae salutem, aut cōstituendam, aut cōseruandam nihil esse nec vtilius, nec Deo acceptius, quā vt ministerium caelestis ac d verē piaē doctrinaē officijs tum publicis tum priuatis iuuetur. Et quia propter immensam clementiam Dei, quā fecit nobis in Iesu filio suo testatissimam, non dubitamus, quin nos vt vera membra sua complectatur, debuimus ei vicissim hoc obsequiū, vt quoquo modo possemus, beneuolentiā nostrā erga spōsam eius Ecclesiā, qua nihil ei est in his terris, aut amabilius, aut pretiosius, declaremus.

CATHOLICA SCHOLIA.

Dignum Christiano Principe, studiū in propagandā verē piaē doctrinae impensum, sed prius illa est agnoscenda, quia enim inquit verē pia doctrina, significat aliquā esse quē nō sit verē pia etsi appareat: quod si ita est, illud primō statuendum erat, vt ea doctrina cui propagandae datur opera, sit verē pia: maximē nunc cū constet omnibus, in dubium

SCHOLIA CATHOLICA.

dubiū verti, quae sit vera doctrina. Qui ergo sine legitimo & sufficienti iudicio, alteri parti fauet, vt minimū periculo se exponit, fauēdi impię doctrinae: quo nihil principe indignius. Igitur nō te lateat Princeps optime, quod sicut tui impiā doctrinā iudicant, quā catholici sequuntur, ita & catholici hanc, cui tu propagandae operam das. Nec sunt apud eos pauciores, aut minus digni fide testes, quā apud vestros, vt quā mō destitissimē loquamur: vt minimum ergo non verē & pię doctrinae propagandae operam, sed aut impię, testibus catholicis, aut certē dubie necessaria ratione. Nōne igitur fatius est ab hoc studio cessare, & vel saltem suspendere iudicium, & expectare humiliter a Deo illustrari, id quae exigere pijs operibus & precibus apud Deum?

b Quod verō sit hoc discrimē, oportebit bene exploratū habere, quod nos ostēdimus in praefatione nostra. Illud est certū alienū esse a principē Remp. administrante, definire dubia erga fidē, hoc verō pertinere ad eos qui ecclesiā gubernāt: ab illis ergo oportet principes accipere, & illorū expectare sententiā, alioqui timere debent quod sequitur post verba hic citata: nequādo scilicet irascatur dñs contra eos, & pereat de via iusta: hoc enim cōminatur principibus qui nō apprehendunt disciplinam, quid verō magis indisciplinatum & inordinatum, quā dubiam doctrinam sequi, & intrudere subditis ante iudicium ecclesiae.

c Prudentissimē quidē, vt nō illa adiunetur, quae est synagoga sathanae, quā sicut vestri nostrā ecclesiam iudicāt esse, scilicet synagogā sathanae, ita nos vestrā, & vt minimū sub iudice lis est, expectāda ergo definitio.

d Cautē semper verē piā doctrinam dicit iuuandam, non igitur impiā promoueamus, sed nec dubiam qualis haec tua, inimicorum etiam iudicio sit, necesse est.

e Possumus quidē hoc sobriē accipere: nō dubitamus pro certitudine spei Christianae, vehementer scilicet & firmiter putamus: at verō quia fidē certissimā exigunt vestri, qua quisque credat, verū se membrum Christi esse: timendū est, ne verba haec ex eo sensu procedant, quod nō est aliud quā dulcedine quadā securitatis nimia delectari, pro affectu & absque iudicio ei fauere parti, quae dulcius poculū subministrat, nō dū certū, an salubre, an lethiferum potius. Nō miramur si ardentissimi sint in huius nouae doctrinae defensione, qui sibi persuadent, per eam omnidubio posthabito, imō omni timore dānationis, certos effici salutis suae, hoc est, quod maximē afficit nimium credulos, sed timendum eis, ne haec tanta suauitas in amaritudinem conuertatur.

f Optimē quidem, sed videndum ne contra sponfam, potius beneuolentiā ostendant adulterae & meretrici, qua nihil est Christo odibilis.

VVIR TENBERG.

Iussit nos alius Psalmus, ^a portas nostras aperire Regi Gloriar. Existimauimus autem portas tanto Regi verè tū patere, cum celesti doctrinæ eius in Ecclesijs locus conceditur. Sed cum inciderint variæ de doctrina Ecclesiastica ^b dissensiones, & visum est inuictissimo domino Imperatori Carolo, eius nominis quinto, Domino nostro clementissimo, ac reliquis statibus sacri Romani imperij, si quid habemus quod vel ad publicam Ecclesiæ pacem, vel ad priuatam conscientiar tranquillitatem pertinere videatur, commemorare. Iussimus concionatores ^c nostros, summam doctrinæ ipsorum conscribere, vt palam ^d testarentur in nostris Ecclesijs non nisi veræ Apostolicæ, Catholicæ, & Orthodoxæ doctrinæ locum datum esse. Voluimus igitur vt hoc scriptum concionatorum nostrorum publicè proponeretur, & speramus futurum, vt ^e vniuersa Ecclesia piorum re ipsa videat, nihil à nostris Ecclesijs alienius esse, quàm vt in ijs quidquam quod cum scriptis Prophetis, & Apostolicis, ac consensu veræ Catholicæ Ecclesiæ pugnet, vel in doctrina prædicandum, vel in ritibus sacrorum administrandum ^f susceptum fuerit.

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Verissimum est, cum doctrinæ eius datur locus in Ecclesia, quid verò magis Deo portas occludit, quàm cum datur locus doctrinæ Sathanae: quantum enim obsequium præstat Deo per piam doctrinam, tantum è contrariò peccatur per impiam: vestra verò hæc dubia est: qui igitur illi fauet, quid aliud agit, quàm vt vel animo, vel pretextu placendi Deo id aggrediatur, vbi fortè summè ei displiceat: Quis verò prudens hoc non abhorreat: quis videns quod ei, quem amat, & cui prodesse cupit, non potest prestare bonum aliquod, nisi cum periculo multò magis nocedi, non abstineat potius, & quiescat, quàm vt tali discrimini se, & amicum exponat: quiescat igitur, & cessent altem, qui verè Deum amant à fauendo huic doctrinæ, vt minimùm dubie.

^b Nostis igitur controuersiam esse rem hanc, non certam, sed & illud non potest ignorari, dissensiones has à Luthero, & vestris exortas. Ipsi coeperunt

SCHOLIA CATHOLICA.

coeperunt dissentire à receptis in Ecclesia dogmatibus, & consuetudinibus: dicunt quidem illi illa omnia irrepsisse à trecentis annis, sed & hoc etiam cōstare, quod dissentiant ab ijs, quæ à mille trecentis, aut quingentis annis in Ecclesia certa habita sunt. Si itaque dissensiones agnoscunt, agnoscant etiam originem, & causas, atque rationes, quicunque prudenter volunt alterutris adherere. Nos verò, qui stabilita tanta diuturnitate annorum, & tot patrum testimonijs sequimur in consensu Ecclesiæ nihil est, quod amplius expendere debeamus.

^c Ex hoc loco incipimus desiderare in his, erga causam hanc fidei, sinceritatem, vt aperte manifestent quod sentiant: visum, inquiunt, fuisse Imperatori & statibus, vt commemorent, &c. Sed quorsum hoc visum est, maxime congregato concilio? nunquid vt commemoratione hac contenti, etiam si in ea manifestetur, non conuenire omnes in causa fidei, liberum permittant cui libet, quod velit sentire? Frustra certè id fieret, nisi futurum esset iudicium aliquod cui omnes oporteret subdi.

^d At poterimus nos merito ijs concionatoribus dicere quod Tertullianus inquit: Qui estis vos, & vnde venistis, qua auctoritate irrepsistis in Ecclesiam? certè principis Christiani est, à legitimis prælatis fidem suscipere, & agere vt sui suscipiant: sed coacervare sibi impios, vel eos audire, qui non legitima missione & auctoritate ab Apostolis deriuata docent, quid aliud est quàm fures & latrones, qui non veniunt nisi vt mactent & perdant, admittere?

^e Hic etiam cupimus manifestius ostendi, quò hæc tendant, vt testarentur inquit, soli veræ doctrinæ datum locum esse. Quid verò si quod ipsi testantur, alijs & pluribus falsum videbitur? quid denique si toti concilio? si parati estis cedere, pacificus est hic animus: quod si contrarium decreuistis, ingenuè fateamini, & non in causa hac fidei tam frigide & obscurioribus verbis loquētes, omnia dubia relinquatis, vt olim egerunt demonum vates.

^f Sed non dicitur quibus, vel quàm publicè sit propositum. nam si in concilio, quando causa hæc agebatur legitime, expectandum erat iudicium, nec ante illud obtrudendum omnibus, quasi certum vel ab omnibus probatum.

^g Qui ergo hoc non probauerint, dicetis esse eos de Ecclesia impiorum, & alienos à vera catholica Ecclesia: nos verò idem dicimus de ijs qui probauerint multa horum: omnia igitur hæc verba sunt ambigua, quibus nihil aliud agitur, quàm operam ludere.

^h Quæ suscepta fuerint, re ipsa ostendemus in sequentibus, & circa ea consensum catholicæ Ecclesiæ, testimonijs fide dignorum patrum.

ASSERTIONIS CATHOLICAE
PRAEFATIO.

Sicut dubium non est, sed certissimis scripturae & verbis & exemplis confirmatū, debere Christianos omnes & pios pro gradu suo, studium omne & operam, Christi gloriae, à quo redemptos, & tranquillitati Ecclesiae eius, à qua enutritos se agnoscunt, praestare: atque ideo gratissimū obsequiū esse Deo, quod in doctrina pietatis inquirēda, elucidāda, & ad omniū notitiā deducēda exhibetur: eosq; ad hoc maxime teneri, quibus summa rerum in Rep. commissa est, quosq; is, qui rex regū & dominus dominantū est, populo suo praefecit: sic hoc etiā non minus est certū, quod in hac tanta re vel tantillum excessisse, & proprii gradus limitem fuisse transgressum, grauissimi sit periculi: certē quo fides, veraq; Dei cognitio, res altior est, Deoq; propinquior: quod magis excedit infirmitatis humanae, ingenijq; vires: eò etiā in ea maiore timore, & diffidētia sui, denique tanquam paruulos oportet omnes ita pendere à Deo, & ab ijs quos ipse praeposuit, ita expectare, & sequi eorum ductum: vt ne latū vnguē aulis deflectere à constituto termino. Quare nihil maiore discretionē moderandum est, quā zelus ille agnoscendae & retinēdae veritatis, qui quò maior fuerit, eò in grauiora pericula & discrimina deducet hominē, nisi discretionis freno temperetur, vt testis est Paulus supra modum aemulator paternarum suarū traditionū, atq; ideo iam expertus correctionē verē paternā Dei, qui de alijs dicit: Testimoniū illis perhibeo, quòd zelum Dei habent, sed non secundū scientiam, ideoq; pro illis tristitiam magnam & continuum dolorem cordi suo inesse asserit. Debet igitur quisque primò gradum suum agnoscere, & iuxta illum sequi, & non praire, duci & non ad se ducere Dei spiritum

ASSERT. CATHOL. PRAEFAT.

tum & ordinationem, ne dicatur illi: Vade post me Sathana, scandalum mihi es, non enim sapias quae Dei sunt. Hoc verò eò magis Christiano principi necessarium est, quò minus habet inter homines à quo iudicetur, si se metiri noluerit, cuius rei exemplum in Ozia Rege scriptura nobis ostēdit: Legimus enim illū lepra grauissima percussus, nō quòd quidquā detraheret diuino cultui, sed quòd potius nimio pietatis zelo sacerdotum munus praecuparet, velletq; incensum offerre, quē magis decebat expectare vt pro eo sacerdotes offerrent. Sed & exemplum Oziae deterrere debet eò vehementius, quò simplicius ille, & praeter omnem temeritatem manū admo- uere, vt arcam Dei iamiam se inclinātem ad ruinam teneret, credidit sibi licere, sed tamē occisus est à domino, qui docere hoc exemplo voluit, neminem ita pro Deo aemulari debere, vt transgrediatur terminum suū: Nunquid, inquit Paulus, fortiores illo sumus? Ruente itaque etiam & iamiam in oculis nostris casura Ecclesia, nos agamus quòd nostrum est, neque efferamus manū ultra metas proprias, illi non deerit ratio, & modus, fidē, suā Ecclesiam, & gloriā seruādi, eò magis, quò magis periclitari videbitur. Vt verò hoc seriò fiat, figendū est animis Ecclesiā Christi ordinatissimā esse, quum enim multitudinis cuiusq; maximū bonū ordo sit, quo praecipue & decoratur & roboratur, id Ecclesiae à Deo super omnes mirabiliter aedificatę Reip. necessariū est vt cōueniat, de qua meritò dicitur: Terribilis vt castrorum acies ordinata. In hac porrò ordinatione Ecclesie, semper vt Paulus nos docet, praecipue curata sunt, quae vnitatem & doctrinam concernūt: Dedit enim, inquit ipse, quosdā quidē Apostolos, quosdam Prophetas, alios Euāgelistas, alios Pastores & doctores, & tandem inquit, vt iam nō sumus.

ASSERT. CATHOL. PRAEFAT.

paruuli, & circumferamur omni vento doctrinae. Tolle itaque ordinem in docendo, & necesse est tot esse doctrinae diuersitates, quot aurae status: quibus non minus instabiliter circumferantur paruuli, quam arundo à vento agitatur. Propterea grauissimè ipse Paulus admonet nò plus sapere quam oportet, sed sapere ad sobrietatem, & vnicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei: & subiungens mox rationē: Sicut, inquit, in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi vnum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra: statimq; latius hoc explicans: Habentes ait donationes secundum gratiā, quae data est nobis, differentes, &c. Audi igitur iam in lege gradum, quem & Reges & populi & sacerdotes ipsi erga doctrinam teneant, ibi enim cum gubernatio populi stabilitur, mox in ipsa potestatis regiae constitutione ostenditur Regi terminus suus: Quum, inquit, ingressus fueris terram, quam dominus Deus tuus dabit tibi, &c. & dixeris: Constituam super me regem, cum constitues quē dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum, postquam autem federit in folio regni sui, describet sibi Deuteronomium legis huius in volumine, accipiens exemplar à sacerdotibus Leuitici generis, & habebit secū, legetq; illud, &c. Vbi quid aliud Principi quod ad se attinet praescribitur, quam vt nouerit discipulū se esse legis, non doctorem, suscipiendam sibi esse legem & discendam: Vt discat, inquit, timorem Domini, idq; à sacerdotibus legitimis Leuiticis, inquit, tribus. Ad eos etiā, non ad Reges aut principes mittit eo loco Deus difficilia omnia & ambigua circa legem definienda. Aseende, inquit, ad locum quem elegerit dominus Deus tuus, veniesq; ad sacerdotem Leuitici generis, & iudicem qui fuerit

Deut. 17.

Eodem ca.

ASSERT. CATHOL. PRAEFAT.

fuerit illo tempore, quareſque ab eis: qui indicabūt tibi iudicij veritatem. Vbi & aptissimè quis sit locus non tantum principum, sed & populi circa legis doctrinam, ostensum est: Et facies, inquit, quodcūque dixerint, qui praesunt loco quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius, sequerisq; sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram neque ad sinistram. Hic igitur est gradus populi, dubia fidei inquirere à legitimis templi ministris, eorum doctrinam sequi: nò quod tam eorum sapiētiā & pietati inniti debeāt (illi enim homines erāt, fallere & falli poterant) quā diuinā promissioni, cui nò difficile est vera docere suos, per quoscunq; demum ministros. Iam ne quid desit principi, audiamus quid circa subditos illi incumbat in doctrina legis: Qui autē, inquit, superbierit, nolēs obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis, moriatur homo ille, & auferes malū de Israël, cūctus populus audiēs timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia. Hoc igitur restat principi erga populū, superbiā & inobedientiā eius, erga Dei ministros & doctores legis, cōpescere, atq; seueritate legū sententiā illorū exequi, ne videlicet in cōtemptum veniat. Ita quidem Lex. Quae si ad Ecclesiam referamus, cuius synagoga umbra erat, apertè nos docēt, quod in ea non potest deesse legitima sacerdotū successio, nec in illis doctrinae veritas: & deniq; hanc successionē sacerdotū in Ecclesia certā esse. Illic quidē generatione carnali sacerdotū propagabatur, in Ecclesia verò (de qua dictū est, pro patribus tuis nati sunt tibi filij) spirituali generatione, doctrina scilicet, legitima electione atq; ordinatione. Quod vt certū sit, ab vno opus est deriuetur & terminetur in vnum, teste ipsa Lege: Ad iudicē, inquit, qui fuerit eo tēpore. Igitur prin-

psal. 44.

B 5

cipum



ASSERT. CATHOL. PRAEFAT.

cipium hoc sit munus ita distribuentem lege, vt legitimos sacerdotes agnoscant, tradita ab eis, & ipsi teneant & populos sibi commissos seruare curent, atque ita vtrique & principes & populi satisfaciunt muneri suo. At verò sibi proprios magistros & doctores assciscere, aut quacūque demū ratione nothos & spurios ministros, (de quibus loquitur Dominus: Non mittebam eos & ipsi currebant) vel sustinere vel sequi, quid aliud est quàm totum ordinem Ecclesiae confudisse? Quod vt exemplo fiat manifestum, audiamus Theodosiū illum Christianissimum Imperatorē, qui cum Gratiano & Valentiniano ita lege decernit: Cunctos populos quos clementiae nostrae regit imperiū, in tali volumus religione versari, quam diuum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriē Episcopum. Vides itaque vt bonus ille princeps legitimos agnoscebat sacerdotes, & curabat vt eosdem sequerentur populi sibi commissi. Et meritò quidem hæc statuit qui Ambrosij admonitione publicam poenitentiam in Ecclesia non dedignatus est, iacens in pauimento, & lacrymans ostendere & cum populo extra cancellos expectare libenter sustinuit, ac post omnia vix (inquit) potui discere quæ sit differentia Imperatoris & sacerdotis, vix enim inueni veritatis magistrum, vt habes histo. Trip. lib. 9. cap. 30. Quod utinam nunc vos omnes & Germani maxime discere vellent, si non docentibus suis, saltem docente Ambrosio. Denique Theodosius ne quid deesset officio suo, eadem lege iustissime etiam statuit nomina ipsa & notas, quibus in Ecclesia quisque insigniri debeat: Hanc inquit legem sequentes Christianorum Catholicorū nomē iubemus amplecti, reliquos verò dementes.

Hier. 15.

L.P.C. de
Sum. Tri-
nit. & fide
Catholica.

ASSERT. CATHOL. PRAEFAT.

8
mentes vefanosque iudicantes hæretici dogmatis infamiam sustinere: digna certè tãto Imperatore lex, qua iussu hæreticorum nomine denotantur, quotquot sedi Apostolicæ, Romanæ scilicet Ecclesiæ, & ei participantibus, alijs Ecclesijs non communicant, & meritò quidem catholicorum nomine priuantur, qui à prima illa vnde cætera deriuantur, recedunt: in quo & secutus est patrū antiquorū doctrinā. Quod in hoc principio præfationis loco admonuisse sufficiat, & reddidisse præfationi Confessionis huius, cui respondere instituimus. Ne verò eorū quæ dicimus transgressores simus, hoc primū volumus esse testatum, nos hic loqui in Catholicæ Ecclesiæ cōfessu, legitimorum prælatorum, sub quibus militamus iudicio & auctoritati omnia subijcientes & permittētes.

DE DEO ET TRIBVS IN VNA DIVINITATE PERSONIS. VVIRTENBERG.

CRedimus^a & cōfitemur vnum solum, verum, æternum, immensum esse Deum, omnipotentem creatorem omnium visibilium & inuisibilium, & in hac vna ac æterna diuinitate tres esse per se subsistētes proprietates seu personas, Patrem, Filium & Spiritum sanctum: sicut docet Prophetica & Apostolica scriptura, & explicant tria symbola, Apostolicum, Nicænum, & Athanasij.

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Triahæc prima capita certam & catholicam doctrinam continent, vtpote de rebus, de quibus nulla est inter nos controuersia, vbi, cum sine affectu illo vincendi loquuntur, sincere catholicā fidē paucis explicari & dant catholicis armis, cōtra se quidē, si obstinati elegerint permanere: sed pro se, si veritati à se sincere prolata, maluerint credere. ^b Igitur dogmata fidei & scripturæ canonicæ explicantur alijs scripturis extra canonē, rursus ergo & efficaces sunt scripturæ, quæ sunt extra canonē: tria enim hæc symbola constat non pertinere ad canones sacre scripturæ.

De

DE DEO ET TRIBVS IN VNA DIVI-
NITATE PERSONIS.
CATHOLICA.

Credit catholica Ecclesia, vnū, solum, æternū,
& immensum Deum, rerū omnium creatarū
vnicū principiū esse: Patrem, Filiū, & Spiritū
sanctū: tres quidē realiter distinctas personas,
vnitis & eiūsdē essentia, ideo nō plures Deos, vel plures
omnipotentes: anathematizās æqualiter omnes quacūq;
ratione plures Deos ponentes, vel personarū æqualitatē
& consubstantialitatem negantes: sicut eos, qui in alte-
rō extremo veram Trinitatem personarum negant: reci-
piens symbolum Apostolorum, & Patrum, siue in Ni-
cæno, & Constantinopolitano, siue in alijs concilijs ex-
plicatum: similiter & Athanasij, non minus firmiter,
quām sacra scripturæ dogmata.

SCHOLIA.

Hæc non quasi contraria, aut aliena ponimus: nec certē quasi expli-
care velimus, quidquid circa hæc summa fidei mysteria Ecclesia docet:
sed ob hoc tantū, vt cognoscat prudens lector, alia etiam concilia,
præter III. illa suscipienda esse, vbi scilicet de duabus voluntatibus,
& operationibus Christi: de processione Spiritus sancti à Filio, & simi-
libus quæ in Ecclesia certissima auctoritate constant, definitum est. Si
enim illa negentur, omnia hæc vertentur in dubium: quod si illa, &
reliqua omnia vniuersalia suscipi debent, quæ in Ecclesia recepta sunt.

DE FILIO DEI. VVIR TENBERG.

Credimus, & confitemur, filium Dei, dominum no-
strum Iesum Christum, ab æterno à Patre suo geni-
tum, verum & æternum Deum, Patri suo consubstan-
tialē, & in plenitudine temporis factum hominem, ad
expianda peccata, & procurandam æternam salutem hu-
mani generis. Vt Iesus Christus verus Deus & verus ho-
mo, sit vna tantum persona, non duæ: & in vna persona
sint duæ naturæ, non vna tantū, sicut testimonijs sa-

cræ

VVIR TENBERG.

7

eræ scripturæ exposuerunt sancti patres in concilio Ni-
cæno, Ephesino primo, & Chalcedonensi. Itaq; detesta-
mur omnem hæresim cum hac doctrina de filio Dei pu-
gnantem.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Obserua nomen consubstantialis, sicut persone, & proprietatis sub-
sistentis, in scriptura nusquam inueniri: de quo Ariani sepe conquesti
sunt, quod cogentur aliquid extra scripturam recipere: sed quia ita
patres in concilio Nicæno ex scriptura, & traditione definierunt, hanc
fidem tota semper catholica Ecclesia suscepit.

b Expositionem igitur recipit scriptura etiam in præcipuis fidei dog-
matibus: dubia ergo est, & ambigua etiam in his, quæ substantiam fidei
cernunt, iuxta hanc confessionem: & iuxta eandem, auctoritas est
in concilijs patrum, ad exponendam scripturam sacram.

DE FILIO DEI. CA-
THOLICA.

Credit catholica Ecclesia in filium, coæternum, & con-
substantialē patri: non de nihilo, sed ex patris sub-
stantia verē genitum. Hunc confitetur naturam huma-
nam assumpsisse sine confusione, vel permissione cum
diuina, in vnitatem suppositi: damnans omnes acciden-
talem vnionem cum Nestorio ponentes: aut naturarum
confusionem cum Euticete, in Ephesino, & Chalcedo-
nensi concilijs damnatis. Denique omnes vnā aut vo-
luntatem, aut operationem tantū in Christo asseren-
tes, reijcit eadem catholica Ecclesia, quintæ, & sextæ Sy-
nodis consentiens.

DE SPIRITU SANCTO.
VVIR TENBERG.

Credimus & confitemur, Spiritum sanctum ab æter-
no procedere, à Deo Patre, & Filio, & esse eiūsdē cū
Patre, & Filio essentia, maiestatis, & gloriæ: verū, ac æter-
num

VVIR TENBERG.

num Deum: sicut auctoritates sacre scripturę recte explicauerunt sancti patres in concilio Constantinopolitano aduersus Macedonium.

SCHOLIA CATHOLICA.

a At non iudicio Macedonij, sicut nec in Nicæno, Ephesino, Chalcedonensi, iudicijs Arrij, Nestorij, Euticetis. Non igitur audiendi in Ecclesia, qui explanationi concilij contradicunt, explicauerunt recte auctoritate scripturę, inquit: verum est iudicio vestro, & Catholicorum omnium: credimus recte & auctoritati scripturę, consonę explicuisse illa patres. Quid si alicui, aut pluribus videtur aliter essent ne illi audire redderent ne hi suo sensu minus firmam concilij definitionem? Certè & in Nicæno, & in alijs concilijs non defuerunt, qui contradicerent definitioni: Terminandę igitur sunt controuersię de fide, iudicio publico, & communi Ecclesię, cui non licet alicui contradicere.

b At ibi nihil de processione Spiritus sancti à Patre, & Filio est definitum: recipienda ergo alia concilia, & nouę Ecclesię definitiones: cum de nouo aliquid cęperit in dubium reuocari.

DE SPIRITU SANCTO.

CATHOLICA.

Credit Catholica Ecclesia Spiritum sanctum, verum Deum, Patri, & Filio coæternum, cōsubstantialē, & coadorandum: ab eis procedentem: pariter damnans Macedonium, creaturam ipsū dicentem in concilio Constantinopolitano, & Gręcos omnes, negātes ipsū à Filio procedere: suscipiens in his omnibus quatuor illa concilia, sicut quatuor Euangelij libros: quintam etiam & sextam Synodum, & cetera quę deinceps à patribus celebrata sunt, ob causas necessarias, vniuersalia Concilia.

DE PECCATO. VVIR-

TENBERG.

Credimus, & confitemur, hominem, initio iustum, sapientem, libero arbitrio pręditum, Spiritu sancto ornatum, ac felicem à Deo conditum esse. Postea autem propter

VVIR TENBERG.

8

propter inobedientiam Spiritu sancto priuatum: factū mancipium Sathang: & obnoxium tam corporali, quā aeternę damnationi. Id quę malum non in vno tantum Adamo cōstitisse: sed propagari in omnem posteritatem eius. Quod autem nonnulli affirmant, post lapsum tantam animi integritatem relictam, vt possit sese natura libus suis viribus, & bonis operibus ad fidem, & inuocationem Dei conuertere, & preparare: haud obscure pugnat cum Apostolica doctrina, & cum vero catholice Ecclesię consensu. Ad Romanos 5. Per vnius delictum propagatum est malum in omnes homines ad condemnationem. Ad Ephesi. 2. Cū essetis mortui delictis, ac peccatis, in quibus aliquando ambulastis, iuxta seculum mundi huius, iuxta principem, &c. Et mox: Eramus natura filij irę, quemadmodum & ceteri. Mortui, inquit, peccatis, & filij irę, hoc est, alieni à gratia Dei. Sicut autem homo corporaliter mortuus, non potest sese suis viribus preparare, aut cōuētere ad accipiendam vitā corporalem: ita mortuus spiritualiter, non potest sese sua virtute conuertere ad accipiendam vitam spiritualem.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hoc nec in scriptura sacra alicubi aperte dicitur: neq; colligitur aliqua necessaria ratiocinatione: nec est per Ecclesiam vnquam certō definitum. non igitur miscendum cum his, quę fidei sunt: multo verò minus dici propriē potest felicem creatum hominem, cū tam breui ceciderit.

b Si addas, sine gratia, nulla erit ambiguitas, dicatur itaque, vt possit sese naturalibus suis viribus, absque diuinę gratię dono, quanquam satis hæc locutio id explicet.

c Verus igitur catholice Ecclesię consensus, vt minimum, proximū locum tenet in confirmanda fide post Apostolicam doctrinam: Porro obseruabimus deinceps, quibus testibus hunc sensum Ecclesię probāt.

d Absque gratię Dei adiutorio excitante, & hoc ipsum in eo operante, verum est.

August.

VVIR TENBERG.

August. tomo. 7. contra duas Epist. Pelag. ad Bonifaciū lib. 2. cap. 8. Dominus vt respōderet futuro Pelagio, nō ait: Sine me difficile potestis quidquam facere. Sed ait: Sine me nihil potestis facere. Et vt responderet futuris etiam istis, in eadem ipsa Euangelica sententia non ait: sine me nihil potestis perficere, sed facere. Nā si perficere dixisset, possent isti dicere, nō ad incipiendum bonum, quod à nobis est: sed ad perficiendum esse Dei adiutorium necessarium. Et mox: Hominis est præparare cor, & à Domino responsio lingue. Non bene intelligendo falluntur, vt existiment cor præparare, hoc est, bonum inchoare, sine adiutorio gratiæ Dei ad hominem pertinere. Absit vt sic intelligant filij promissionis, tanquam cum audierint Dominum dicentem: Sine me nihil potestis facere, quasi conuincant eum dicentes: Ecce sine te possumus cor præparare. Aut cum audierint à Paulo Apostolo, non quia idonei sumus cogitare aliquid quasi ex nobismetipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est, tanquam & ipsum conuincant dicentes: Ecce idonei sumus ex nobismetipsis præparare cor, ac per hoc, & bonialiquid cogitare. Et iterum tomo 9. in Ioan. tractatu 49. Nemo se palpet, de suo Sathanas est, de Deo beatus est, quid est enim de suo, nisi de peccato suo, tolle peccatū, quod est tuū. Iustitia, inquit, de meo est: quid enim habes quod non accepisti? Ambrosius de vocatione gentiū, libro 1. cap. 9. Licet insit homini, malum velle, tamen, nisi donatum, non habet bonum velle. Illud contraxit natura per culpam: hoc recipit natura per gratiam. Bernardus in Homilia 1. de Annūtiatione Beatæ Mariæ: Si stare non potuit humana natura adhuc integra, quantò minus potuit per se ipsam resurgere iam corrupta.

SCHOL.

CATHOLICA.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Nisi hoc dederit Deus, sic enim inquit ipse Bernardus in hoc loco, necesse est credere, quod nihil prorsus habere queas operis boni, nisi & hoc dederit ipse Deus, & in huius cōfirmationem hæc addidit, quæ hic citantur verba.

b Obserua, ex omnibus citatis testimonijs in hoc capite, Augustinū, Ambrosium, & Bernardum, idoneos testes esse ad probandum Ecclesiæ consensum: & meritò quidem, vt pote quia Deo Ecclesiæ & doctrina, & sanctitate, & miraculis commēdati sunt. Cum igitur non sententiam suam, sed Ecclesiæ referat, credendum est eis. Nec prætermittas, res suffecisse illis testes ad hoc probandum, iuste quidem: Nam in ore duorum, vel trium, &c.

DE PECCATO. CATHOLICA.

Credit catholica Ecclesia, Adam in tanta rectitudine, atq; integritate animi, & corporis creatum à Deo, vt inferiores omnes vires, rationi, quādiu illa Deo subdita esset, obedirent, corpori verò nihil deesset, quo posset à morte, & infirmitate semper seruari: libertate etiam arbitrij ita donatum, vt cum Dei gratia hæc dona seruare posset sibi, & filijs. Sed cum per hanc libertatem peccauit, priuatus est & ipse, & filij omnibus his donis, incurrimusque iram Dei, & damnationis æternæ reatum. Quod autem nonnulli affirmant, per peccatum libero arbitrio omnino priuatos nos esse, id manifestè cum scriptura sacra, & vero catholice Ecclesiæ consensu pugnat. Infirmitas tamen fatetur vera fides esse nostrum liberum arbitrium: sic vt nec ad credendum, vel inuocandum Deum se conuertere, nec ad Dei gratiam se præparare, nec bonialiquid ad salutem pertinens efficere, sine ipsa gratia possit. Ioan. cap. 12. Cum autem tanta signa fecisset coram eis, non credebant in eū, vt sermo Esaie impleretur: Domine quis credidit, &c.

Probant hæc liberum arbitrium, quia iudicandi dicuntur illi, non credentes, quorum tamen oculos ex cæcos fatetur.

C

Et

CATHOLICA.

Et statim: propterea non poterant credere, quia iterum dixit Elías: Excæcavit oculos eorum, &c. Et post pauca Christus illis dicit: Si quis audierit verba mea, & nō custodierit, ego non iudico eum, &c. Qui spernit me, & nō accipit verba mea, habet qui iudicet eum. Sermo quē locutus sum, ille iudicabit eum in nouissimo die. Iacobi cap. 1. Nemo cū tentatur dicat quōd à Deo tentatur: Deus enim intentator malorum est: Vnusquisq; autem tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus: dein de concupiscentia, cū cōceperit, parit peccatum. Cū ergo aperte suo arbitrio peccare hominem, & à sua concupiscentia abstrahi Iacobus doceat, non similitudine corporaliter mortui vtendū est in hac parte: in qua plus est diuersitatis quā conuenientia, ille enim simpliciter, & absolute non potest ad vitam se preparare: spiritualiter verò mortuus potest per gratiam ad vitam spirituale animæ se preparare. Propterea illi non imputatur, quōd non viuat, huic verò imputatur. Augustin. in Epistol. ad Bonifacium, siue ad Paulinum, est 106. Refert iudicium in Palæstino Concilio factum contra Pelagium, & obiecta, inquit, esse ei quædam, quæ nisi anathematizasset remota omni tergiuersatione, ipse anathematizatus esset, & inter hæc ita dicit, Obiectum est eū dicere: Non esse liberum arbitrium, si Dei indigeat auxilio. Et post pauca ita ait: Consequens est, vt, quisquis sequitur illius Episcopalis iudicij auctoritatē, hæc tenere debeat, quæ semper tenuit catholica Ecclesia. & inter alia etiā hoc addit: Fateatur esse liberū arbitriū, etiā si diuino indigeat auxilio. Idem sequenti Epistola ad Vitalem: Ita fit, vt nec fideles fiant, nisi libero arbitrio: & tamen illius gratia fideles fiant qui eorum à potestate tenebrarum liberauit arbitrium. Et post pauca, inter duodecim

senten-

CATHOLICA.

10

sententias quas cōtra Pelagianos adfert, ita dicens: Quoniam ergo propitio Christo Christiani Catholici sumus, scimus hoc, & illud, &c. inter quæ (ait) Scimus eos, qui corde proprio credunt in Deum, sua id facere voluntate, ac libero arbitrio. Scimus pro eis qui nolunt credere, nos, qui credimus, recta fide agere, cū oramus, vt velint. Scimus pro eis, qui ex illis crediderint, tanquam de beneficijs recte, & veraciter debere nos Deo gratias agere, & solere. Idem ad Valentinum Epistola 49. Quantum ergo potuimus, egimus cum istis, & vestris, & nostris fratribus: vt in fide sana, & Catholica perseuerent, quæ neque liberum arbitrium negat, siue in vitam malam, siue bonam: neque tantum ei tribuit, vt sine gratia Dei valeat aliquid, siue vt ex malo conuertatur in bonū, siue vt in bono perseuerāter proficiat: siue vt ad bonum sempiternum perueniat. Ambrosius (vt illi dicunt) eodem libro primo, de vocatione gentium, cap. 30. De eo, qui per Dei gratiam à malis, quæ in Adam incurrimus, liberatus bene operatur, sic ait: Neque quia spiritu Dei agitur, ideo se putet liberum arbitrium nō habere, quod

SCHOLIA.

Hæc tria Augustini loca, non contraria tribus, quæ illi adducunt, ideo adduximus: vt conuincamus debere eos, cū tanta necessitate gratiæ, quam Augustinus illis locis docet, & nos fateamur: simul libertatem arbitrij simpliciter confiteri, quam cū Lutherus, & sui omnes aperte negauerint, hi hæreticorum more dissimulant, ante peccatum aperte confitentes liberum arbitrium, post peccatum verò ponentes ob oculos necessitatem gratiæ: tacētes verò omnino de libero arbitrio. Quod si non industria factum est, fateantur illud simpliciter cum catholica fide, & Ecclesia: vt Augustinus his tribus locis apertissime dicit, atque ita in hoc articulo, nulla erit inter nos controuersia, qui non minus certò, cū Ecclesia, & fide, catholicis necessitatem gratiæ, quā Augustinus illis locis, & à nobis etiam citatis apertissime docet, confitemur.

C

2

nec

CATHOLICA

nec tunc quidem perdidit, quando Diabolo voluntate se subdidit, à quo iudicium voluntatis deprauatum est, non ablatum. Bernardus lib. de gratia, & libero arbitrio. Centies apertè libertatem arbitrij, & gratiæ necessitatem confitetur, statim in principio citatis pro necessitate gratiæ locis scripturæ: Non ex operibus iustitiæ, &c. Sine me nihil potestis, &c. Non est volentis, neque currentis, &c. opponit: Quid igitur ais liberum arbitrium? & ita dicit: breuiter respondeo, Saluatur, tolle liberum arbitrium, non erit, quod saluetur: tolle gratiam, non erit, unde saluetur: opus hoc sine duobus effici non potest, &c. Et post nonnulla de hoc disputata inferiùs concludit: Manet ergo libertas voluntatis, etiam vbi fit captiuitas mentis, tam bene quidem in malis, quam in bonis: sed ordinatio in bonis: tam integra quoque pro suo modo in creatura, sicut in creatore, sed in illo potentior. In concilio Arausicano secundo cap. 25. Secundum scriptas sanctarum scripturarum sententias, vel antiquorum patrum definitiones, Deo propitiante, & predicare debemus, & credere, quod per peccatum primi hominis, ita inclinatum, & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus postea aut diligere Deum, sicut oportuit, aut credere in Deum, aut operari aliquid propter Deum, quod bonum est, possit, nisi gratia eum, & misericordia diuina præuenierit.

SCHOLIA.

a Ecce, non, inquit, ablatum, sed manet infirmum.

DE IUSTIFICATIONE.

VVIR TENBERG.

CRedimus, & confitemur, quod ad faciendam, & exercendam iustitiam Deo gratiam, necessariæ sint hæ virtutes, fides, spes, & charitas, & quod homo, has virtutes non

VVIR TENBERG.

non ex se concipere possit: sed accipiat ex fauore & gratia Dei, quodque fides operetur per dilectionem: sed sentimus à verè Apostolica, & catholica doctrina longissimè abhorreere eorum sententiam, qui docent, hominem fieri Deo acceptum, & reputari coram Deo iustum, propter has virtutes, ac in iudicio Dei meritis harum virtutum confidendum esse. Homo enim fit Deo acceptus, & reputatur coram eo iustus, propter solum filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, per fidem: & in iudicio Dei, non est vlllo earum virtutum, quas nos habemus, merito: sed solo merito domini nostri Iesu Christi, quod fit

SCHOLIA CATHOLICA.

a Caue hic, & in sequentibus. Acceptum Deo fatentur hominem esse: iustum vero esse dissimulant dicere: & pro esse, reputari ponunt. Itaque fateantur apertè, iustitiam inherentem, & hominem veraciter esse iustum, cum fide catholica, & Paulo dicente: Hæc aliquando fuistis, scilicet fures, anari, &c. sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis, &c. 1. Corinth. 6. Aut apertè negent: ut noverint simplices, quid sibi cauendum sit in eorum verbis.

b Solum cum dicimus, excluditur quicquid, aut contrarium, aut alienum est à Christo. Propter solum ipsum iustificamur: non aliquo contrario, vel alieno ab ipso. At verò virtutes hæ ab ipso sunt: neque eis fidemus, nisi propter ipsum: ipsi, ut causæ: atque ita prius illis, ut effectibus, & posterius.

c Paulus dicit: Spe saluati sumus: Christus in Euangelio: Fides tua te saluam fecit: et Petrus: Caritas (inquit) cooperit multitudinem peccatorum. Cur non fidendum illis, quibus saluamur, quibus cooperiuntur peccata? Sed solo, inquit, merito Christi. Fatemur: Hoc est, nullo, quod non ex eius merito in nobis sit: Sed nec meritum Christi excludit virtutes, nec virtutes, meritum Christi: quin potius coniuncta sunt. Paulus Romanorum. 5. de Christo: Per quem, inquit, habemus accessum per fidem in gratiam istam: Semper coniungit Christum, & fidem, & fidei charitatem: quare vos ista separatis?

C 3 nostrum

nostrum * per fidem, confidendum. Et quia coram tribunali Dei, ubi de vera, & æterna iustitia, ac salute agitur: * nullus planè locus est meritis hominum, sed tantum misericordiæ Dei, & meritis solius domini nostri Iesu Christi, qui fide à nobis accipitur: iccirco sentimus, veteres ac maiores nostros rectè dixisse: nos coram Deo sola fide iustificari. Ad Romanos 3. Omnes peccaverunt, & egent gloria Dei: Iustificati autem gratis per gratiam ipsius, per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, quæ proposuit Deus propitiatorem * per fidem in sanguine ipsius. Ad Galatas cap. 4. Concluit scriptura omnia sub peccato, ut promissio ex * fide Iesu Christi daretur credentibus. Et cap. 5. Nos spiritu ex fide spem iustitiæ expectamus: nam in Christo Iesu, neque circūcisio quicquam valet, neque præputium, sed fides per dilectionē * operans. Hilarius in Matthæum Can. 8. Mouet scribas, remissum ab homine peccatum, hominem enim tantum in Christo contuebantur, & remissum ab eo, quod lex laxare nō poterat. Fides enim sola iustificat. Ambrosius in Epist. ad Roma. cap. 3. Iustificati sunt gratis, quia & nihil operantes neque vicem reddentes, sola fide iustificati sunt dono Dei. Et iterum cap. 4. ad Romanos. Manifestè beati sunt, quibus sine labore vel opere aliquo remittuntur iniquitates & peccata teguntur, nulla ab his requisita pœnitentiæ opera, nisi b tantum ut credant. Pos-

CATHOLICA SCHOLIA.

- a Apertius & scripturæ sacræ, patrumque doctrinæ congruentius dicerent, participatur à nobis, & communicatur. Non, inquit, Ioannes, plenitudinem eius accepimus: sed de plenitudine eius. Per fidem verò, quæ per dilectionem operatur: ut ipsi verbo Pauli confirmant.
b Sine Christo. Verum est: Meritis, inquam, quæ à Christo non habentur, quæ illi non innituntur.
c Quæ per dilectionem operatur. Alia enim omnia nihil valent, ex verbo ipsius

bo ipso Pauli, quod tertio loco citatur ab eis: & ita intellige semper, quoties Paulus de fide iustificante loquitur.
d Quæ per dilectionem operatur.
e Hic est omnium explicatio: postquam nihil est, quod desideretur, nec cur verbum sola fide apponatur, cum charitas coniuncta habeat opera, dicente Christo: Si quis diligit me, madata mea seruabit, Ioan. 14.
f Fides sola, quia nihil sine illa. Ibi enim Hilarius, ut ipse contextus ostendit, rationē reddit: quare lex non poterit laxare peccata. Ita enim inquit: Fides enim sola, quæ ergo ante fidem sunt, aut ab illa aliena: illa excluduntur à iustificatione: non fidei opera, non illa, quæ Paulus dicit, Sanctos per fidem fecisse: inter quæ & charitas, & cæterarum virtutum opera sunt.
g Eorum scilicet quæ lex iubet: circūcisionem, lotiones, & sabbata. Ita enim ipse Ambrosius apertè se intelligere ostendit. Nam post pauca in eodem capite hæc exponens: Arbitramur iustificari hominem per fidem, absque operibus legis, ita inquit: Gentilem dicit hominem pro certo habere, quod iustificetur, nulla faciens opera legis, id est, sine circūcisione, aut neomenijs, aut veneratione sabbati.
h Hic apertè ostenditur, locum hunc Ambrosij inspicienti, aperta aut malicia, aut ignorantia adducentium illum. In hoc loco Ambrosius exponit illa verba Psalms: Beati quorum remisse sunt, &c. Et in principio dicit hæc, quæ hic referuntur verba, & hanc expositionem proferens dicit, quæ nos in oppositum in catholica confessione adferimus, in quibus apertè inquit, verba illa Psalms nec de pœnitentibus, nec de martyribus intelligenda esse, sed tantum de baptismo, qui ut ille alibi inquit, nec planctum, nec gemitum requirit. Itaque cum hic dicit manifestè: Beati sunt quibus, &c. non de omnibus loquitur, qui iustificantur sed de his, qui per baptismum, quod ut apertius fiat, vltima tantum verba huius expositionis lege post illa, quæ nos citauimus de pœnitentibus, & martyribus. Ita inquit: Propheta autem tempus felix præuidens in saluatoris aduentu beatos nuncupat, quibus sine labore, vel aliquo opere per lauacrum remittuntur, & teguntur: nō imputantur peccata. Cum ergo tam apertus sit sensus Ambrosij, quorsum citatur ad ea probanda, quorum cōtrarium tã apertè eo loco dicit scilicet, sola fide iustificari omnes, & huiusmodi alia. Vbi videant omnes equi, & boni viri, quid sentiendum de his hominibus, & quales sunt hi fructus huius Euangelij, ut, ubi sensus catholicus doctor in baptismo non requirit alia opera: illi ita adducit eius verba, ut quicumque simpliciter legerit, putet vniuersaliter dictum. Nōne hoc est peruertere sensum patrum & decipere simplices? Ceterum de sententia ipsa Ambrosij & quid ad baptismum requiratur, dicitur alibi: hic satis sit, eius mētem apertè vidisse.

VVIR TENBERG.

Sunt autem multa loca tã e scriptis Prophetiis, & Apostolicis, quàm e sanctis patribus commemorari: quibus probatur non solum initio gratuita Dei clementia donari nobis has virtutes, fidem, spem, & charitatē: verum etiam postea per omnem vitam, adeoque in extrema necessitate, haudquaquam nos coram seверо tribunali Dei cōstare posse, nisi fiducia a solius gratuita clemētiæ Dei, in Christo, filio Dei, nobis exhibite. Hoc enim est, quod & Paulus docet, & Ecclesiastici scriptores exponunt: nos coram Deo b sola fide iustificari.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Non excluduntur propterea ea, quæ ex ipsa gratia in nobis sunt, virtutes scilicet, & opera, de quibus diximus.

b Quia nihil sine illa, vt dictum est, sed non ista sine dilectione, quæ mandata seruat, & operatur magna, vt in assertionē catholica habes.

DE IUSTIFICATIONE.

CATHOLICA.

CRedit catholica Ecclesia, quod iustificatio impij, qua scilicet ex peccatore fit iustus, sola Dei gratia per Christum, nullo nostro merito fiat. Idque occulta inspiratione, & infusione fidei, spei, & charitatis, cooperante in ratione vtentibus libero arbitrio, per veram pœnitentiam, vel conuersionem in Deum & Sacramenta, vt à Christo præceptum est, re vel voto suscepta. Propter has igitur virtutes intrepidè catholica fides, hominem iustum esse coram Deo confitetur, & earum meritis sibi esse fidendum. Sentit etiam vera fides catholica, hominem ita iustificatum, non reputatione tantum, sed veritate etiã coram Deo iustum esse, & gratia Dei cōtinuò egere, ad exercendam pietatem, implendamq; iustitiam. Qua simul cum libero arbitrio opera fidei, spei, & charitatis exercet: quibus coram Deo proficit in iustitia, & his meritis in iudicio Dei sibi veraciter fidendum esse. Secundum quæ iudi-

CATHOLICA.

iudicandi sunt omnes ad salutē: sicut propter mala opera impij damnandi. Etsi enim propter solum filium Dei, dominum nostrum Iesum Christum, nos iustificari à peccatis, & iustificatos proficere, & denique peruenire ad finem, certo credamus, non tamen propterea, & virtutes, & earum opera, quæ eius meritis, & gratia Dei, per ipsum in nobis sunt excludenda. Idcirco maiores nostri rectè dixerunt: Nos non sola fide iustificari. Loca scripturæ de iustificatione impij. Luc. 7. Ezech. 18. Act. 2. Luc. Remittuntur ei peccata multa, quoniã dilexit multum. Ezech. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis, quæ operatus est: & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit iudiciũ & iustitiam, vita viuet, & non morietur: omnium iniquitatum eius, quas operatus est non recordabor: In iustitia, quam operatus est, viuet. Petrus in Actibus: Pœnitentiã agite: & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine domini nostri Iesu Christi, & accipietis remissionem peccatorum vestrorum. Iterum sequenti capite: Pœnitementini igitur & cōuertimini, vt deleantur peccata vestra. Iacobi secundo, De bonorum operum iustificatione. Abraham pater noster nōne ex operibus iustificatus est, offerēs Isaac? &c. Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus consummata est: Et iterum, citata scriptura: Credidit Abraham, & reputatũ est ei ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Vides quoniã ex operibus iustificatur homo, & non ex fide tantum? Similiter & Rhaab meretrix nōne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios & alia via eiciens? Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est. Roman. secundo, de eadem iustificatione. De Deo, ita inquit, Reddet vnicuique secundum opera eius, &c. Deinde: Ira & indignatio,

CATHOLICA

gnatio, & tribulatio in omnem animam hominis operantis malum, Iudæi primùm & Græci, gloria autem, & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primùm & Græco. Et omnia cōcludens tandem inquit: Non enim auditores legis iusti sunt ante Deum, sed factores legis iustificabuntur. Et secunda ad Corinthios quinto. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum siue malum. Hilarius in Matthæum Cant. 6. in illa verba: Multi dicent mihi in illa die: Domine domine, nōnne in nomine tuo prophetauimus? &c. Ita inquit, de nostro igitur est beata illa æternitas promerenda: præstandumq; est aliquid ex proprio, ut bonum velimus, malum omne vitemus, totoq; affectu præceptis celestibus obtemperemus, ac talibus officiis cogniti Deo simus: agamusq; potius quod vult, quam quod potest, gloriemur. Ambrosius ad Galatas 5. in illum locum: In Christo Iesu nec circūcisio, &c. Nec præputium, inquit, valet quicquam, nec circūcisio: sed sola fide opus est in charitate ad iustificationem. Fides enim charitate fraterna debet muniri, ut perfectio sit credentis. Et citatis verbis Christi, Matthæi 22. In his duobus mandatis, &c. ait, Imperfecta sunt itaque cetera, quando in his duobus mandatis perfectio continetur. Et iterum Rom. 4. in eo ipso loco quem citant. Exponens illud: Beati quorum remissæ sunt, &c. Quemadmodum autem (inquit) ad pœnitentium personam potest pertinere cum dicitur: Beati quorum tecta sunt peccata, cum constet pœnitentes labore, ac gemitu remissionem peccatorū acquirere? Aut, Quomodo martyrio congruit quod dicitur: Beatus vir cui non imputauit Dominus peccatum, cum sciamus gloriam martyrij passionibus & pressuris acquiri? Possunt.

CATHOLICA

14

Possunt autem innumera loca, ex Prophetis, & Apostolis, atque antiquioribus patribus afferri, quibus apertè docetur: ita nobis soli gratuita Dei clementiæ semper fidendum esse: ut tamen nouerimus, iudicandos nos fore coram tribunali suo ex operibus. Nec vnquam Paulus vel Ecclesiastici auctores, sola fide nos iustificari dicentes, charitatem, pœnitentiam, & alia negarunt.

SCHOLIA.

a Si aduersariæ particulæ vim agnoscas, apertus sensus est: iustificabuntur apud Deum proculdubio. Quod enim prius negauerat de auditoribus legis, esse scilicet iustos coram Deo, id nunc affirmat de factoribus iustificari scilicet: igitur coram Deo: alioquin non rectè aduersariæ illa responderet ceteris. Quod cum ex alijs locis etiam hic adductis satis constet, non est opus coniecturis agere.

b Ex proprio & nostro cum dicit: non putes, quod gratiam excludat, sed quia nostra etiā sunt, quæ gratiæ: facit enim gratia ut nos faciamus: significat tamen Hilarius apertè, nos promereri beatitudinem nostris operibus, quæ tamen non ideo non sunt gratiæ.

c Quoties igitur Ambrosius de fide iustificante loquitur, etiam si addat verbum, sola, ex hoc loco habes, qualiter accipiendum sit, quod videlicet non excludatur charitas & cetera illi coniuncta.

d Quod acquirere dicit remissionem, non significat quod eam mereantur: nec nos hoc intelligi volumus, sed ut aduertat Ambrosium aperte asserentem illud: Beati quorum remissæ sunt iniquitates, de Baptismo, non de pœnitentia accipiendum: nec tamen hanc expositionem ideo sequimur, quia aliter alij patres exponunt: Sed doctrina ipsa Catholica est pœnitentem gemitu suo remissionem acquirere peccati, non tamen mereri.

DE LEGE.

VVIRTENBERG.

AGnoscimus legem Dei, cuius epitome est Decalogus, præcipere optima, iustissima, & perfectissima opera: & hominem non solum obligatum esse ad obediendū moralibus præceptis Decalogi: verumetiam, si faceret opera Decalogi, ea perfectione & integritate, quam

a Ea perfectione, quam Lex exigit pro statu huius vitæ, & non solum quam simpliciter exigit, sic enim Christus inquit adolefcenti: Si vis ad vitam ingredi, serua mandata.

Lex

Lex exigit: verè coram Deo operibus suis iustum & reputandum: & ^b meritis suis æternam salutem consequuturum. Sed quod nonnulli sentiunt, ^c hominem posse in hac vita eò peruenire, vt non tantum impleat suis operibus Decalogum, verumetiam possit plura, & maiora opera facere, quàm in Decalogo præcepta sunt: quæ vocant opera supererogationis: alienum est à ^d Prophetica, & Apostolica doctrina, & pugnat cum sententia veræ catholicæ Ecclesiæ. Decalogus enim nō est ad hūc vsum datus, vt significet hominem posse præcepta eius in hac vita perfectè implere: sed, vt ostendat homini suam imperfectionem, & ferat testimonium de iniustitia hominis, ac de ira Dei aduersus omnes homines, ac excitet eos ad quærendam remissionem peccatorum, iustitiam, & salutem in solo filio Dei, domino nostro Iesu Christo, per fidem. Ad Romanos 3. Per legem g agnitio peccati. Et capite 7. Lex spiritualis est: ^b ego autem carnalis, venditus sub peccatum. Et capite 8. Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum, nam legi Dei non subditur, si quidem nec potest. Ad Galatas 3. Scriptum est: ^k. Maledictus omnis, qui nō permanferit in omnibus, quæ scripta sunt in libro Legis, vt faciat ea. Augustinus de spiritu, & litera capite 36. Hoc primum præceptum iustitiæ, quo iubemur diligere Dominum ex toto corde, & tota anima, ex tota mente: cui est de proximo diligendo alterum consequens: in illa vita implebimus, vbi videbimus facie ad faciem: sed ideo nobis hoc etiam nunc præceptum est, vt admoneremur: quid fide exposcere, quo spem præmittere, & obliuiscendo, quæ retro sunt: in quæ anteriora nos extendere debeamus. Ac per hoc, quantum mihi videtur, in ea, quæ ^l perficienda est iustitia, multum in hac vita ille proficit, qui, q̄ longè sit à perfectione iustitiæ,

proficiendo cognoscit. Et rursum Aug. ad Hiero. Epist. 26.

SCHOLIA CATHOLICA.

- a Cauendum verbum, non sola reputatione sumus iusti, sed veritate.
b Suis meritis vel operibus, sed diuinæ gratiæ auxilio peractis, fatetur catholica fides iustum quem esse, & salutem æternam consequi, redet vnique iuxta opera sua, inquit Paulus de vltimo iudicio.
c Proprijs viribus catholica fides hæc fieri posse negat, gratiæ verò auxilio credit fieri omnia, dicente Christo de hoc ipso discipulis admittantibus quod audierant, quia diues difficile intrabit in regnum celorum, &c. & dicentibus, quis ergo poterit saluus fieri: apud homines hoc est impossibile, apud Deum autem omnia possibilia sunt, Matthæi. 19.
d Ab Apostolica quidem doctrina, quia scribit Matthæ. eodem capite: Si vis perfectus esse, vade, & vende omnia quæ habes, &c. & Paulus vt diximus: De virginibus præceptum Domini nō habeo, &c. A prophetica, quoniam Esaias de spadonibus, inquit, illis, scilicet de quibus Christus ait, qui se castrauerunt propter regnum celorum, dabo eis in domo mea, & in muris meis nomen melius, a filijs & filiabus, nomen æternum dabo eis, vide vt exponit hunc locum Augustinus libro de sancta virginitate, capite 15.
e Perfectionem huius vitæ, & per gratiæ auxilium dicimus impleri posse, idque significari decalogo.
f Verum est, remissionem peccatorum, vel lethalium & grauium, qualia qui faciunt regnum Dei non possidebunt, vel leuium etiam, vt otiosa verba & huiusmodi, nec enim de omnibus dixit Paulus qui talia agunt regnum Dei non possidebunt, ad Galatas 5.
g Sed per gratiam impletio legis, vide Augustinum lib. 3. cōtra duas epistolas Pelagii. capite 1. & probauimus hoc in catholica confessione, auctoritatibus Pauli: Non etiam inquit Paulus, per legem sola cognitio peccati.
h Sed mox ibidem inquit: infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius, respondet, gratia Dei per Iesum Christum.
i Sed statim ibi dicitur, vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in vobis.
k At ibi statim: Christus vos redemit de maledicto legis, & rursum: Iam non sumus sub pedagogo, omnes enim filij Dei estis, per fidem, quæ est in Christo Iesu.
l Est ergo in hac vita aliqua iustitia perficienda: sed non tanta est hæc perfectio, quanta patriæ, vt habes in locis Augustini & Hieronymi quæ citamus in catholica confessione.

Cha-

Charitas est virtus, quæ id quod diligendum est, diligitur. Hæc in alijs ^a maior, in alijs minor, in alijs nulla. Plenissima verò, quæ iā non potest augeri, q̄ diu hīc homo viuit, est in nemine. Quādiu autē augeri potest, profectò illud quod minus est q̄ debet, ex ^b vitio est: Ex quo vitio non est iustus in terra, qui faciat bonū, & nō peccet. Ex quo vitio nō iustificabitur in cōspectu Dei omnis viuēs. Propter quod vitium, si dixerimus, quia peccatum non habemus, nosipfos fallimus, & veritas in nobis non est. Propter quod etiam quantumlibet profecerimus, necessarium est nobis dicere: dimitte nobis debita nostra, cū iā omnia in Baptismo dicta, facta, cogitata, dimissa sunt: Et iterum lib. 1. retract. cap. 19. Omnia mandata facta deputantur, quando quicquid non fit ignoscitur. Hieronymus: Hæc hominibus sola ^d perfectio est, si imperfectos se esse nouerint. Hæc est hominis vera sapientia, imperfectum esse se nosse: atque (vt ita loquar) cunctorum in carne iustorum, imperfecta perfectio est.

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Est ergo charitas in nobis illa verò est plenitudo legis. vt Paulus inquit Romanorum 13. Sed plenissima, inquit Augustinus, qualis scilicet in patria, in pullo est.

^b Ex vitio innatæ cōcupiscentiæ, & motuum, atque operum eius, quibus si non consentiatur, non excludimur à regno, vide ipsum Augustinum duo hæc scripturæ loca concordantem, omnis qui natus est ex Deo, non peccat: & si dixerimus, quia peccatum non habemus, &c. lib. 2. de peccato merit. & remissio. cap. 1.

^c Certissimum est, remissione peccati fieri, vt consequamur præmiū quod impletionē præceptorum. verum est etiam, nullum esse, qui nō egeat orare: dimitte nobis debita nostra: & ideo nullum sine peccato, & tamen non propterea nullum esse iustum, satis probant, quæ adduximus in catholica confessione.

^d Hæc duo Hieronymi loca ex epistola ad Chæsi. perfectionem in hac vita aliquam dicunt, quod asserimus: qualis verò, & quanta sit illa, & vnde, ostendunt quæ ex ipso Hieronymo eadem epistola, & ex lib. 11. dialogorum contra Pelag. in catholica confessione sunt adducta.

DE LEGE. CATHOLICA.

Credit catholica Ecclesia, quod lex naturæ à Deo ipsi naturæ congenita sit in omnibus, & à Moyse deinceps explicata & scripta, & Decalogo aptissime collecta, breuiusque ab ipso saluatore duobus mandatis dilectionis. quodque hæc lex ad sui obseruantiam omnes astringat, & obseruatores suos corā Deo iustos reddat, salutēque æterna dignos, quæ & per gratiam Dei, quam per Christum habemus, impletur ea integritate, quam exigit ab hominibus in hac vita. Sentit itaque Catholica Ecclesia, quod etsi præceptum dilectionis Dei tantam integritatē & perfectionem exigit, vt in hac vita semper restet, quo proficiendum sit in eius obseruatione: impletur tamen per gratiam, quantum pro huius vitæ modulo à Deo exigitur: Sed illi nullus quicquam superaddere potest. At verò quod ad rerum externarū vsum attinet, habet vera fides iuxta Prophetica & Apostolica doctrinam quædam iuberi vel prohiberi præceptis, quibus non obedire peccatum est, quædam verò proponi sub consilio, cui non parere nullum peccatum est, sed minus bonum, obediētia verò illorum gratior, per quam videlicet supererogamus non nihil his, ad quæ ex necessitate tenemur. Decalogus ergo etsi vi sua non tradat hominibus virtutem implendi quæ præcipiuntur, quia tamen per gratiam impletur, est etiam in hunc vsum, vt eius præcepta impleamus, pro impletionē eorum agamus gratias ei, cuius gratia scimus fieri, & cū difficultatem patimur, ipsam imploremus gratiam, sine qua scimus impleri non posse, deniq; pro transgressionē veniam precemur. Rom. 8. Lex spiritus vitæ in Christo Iesu liberavit me à lege peccati & mortis, nam quod impossibile erat

CATHOLICA.

erat legi, in quo infirmabatur per carnem; Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnauit peccatū, vt iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundū carnē ambulamus, sed secundū spiritū. 2. Tim. 4. Apertē dicit se iustitiam implese legis. Bonū certamen certauit, cursum cōsummaui, fidem seruauit, &c. In quibus si non est impletio iustitiæ, quare statim inquit, de reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Et 1. Corinth. 9. dicit: se supererogasse quædam ultra ea, quæ necessariō imposita erāt: adductis enim scripturæ auctoritatibus, vbi licitum sit doctoribus Euangelij victum accipere, subiungit: Ego autem nullo horū vsum sum, non autem hæc scripsi, vt ita fiant in me, bonum est mihi magis mori, quā vt gloriā meam quis euacuet. Et mox quæ sit gloria ostendens: Nam si Euangelizaue- ro (inquit) non est mihi gloria, necessitas enim mihi incumbit, &c. & statim: quæ ergo merces mea? Cui respon- det: vt Euangelium prædicans, sine sumptu ponā Euan- gelium. Ecce Pauli supererogationē. Et eiusdem 7. aper- tē omnibus suadet cælibatum: Præceptum Domini non habeo, consiliū autē do, de virginibus, &c. Eze. 36. Spi- ritū meū ponā in medio vestri, & faciā vt in præceptis meis ambuletis, et iudicia mea custodiat, & operemini. Iac. 1. Estote factores legis, & non auditores tantū, fallentes vosmetipsos, quia si quis auditor est verbi, & nō factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo, considerauit enim, & abiit, & statim ob- litus est qualis fuerit. Qui autem perspexerit in lege per- fectæ libertatis, non auditor obliuiosus factus, sed factor operis, hic beatus in facto suo erit. Augustinus libro ter- tio cōtra duas Epistolas Pelagij, cap. septimo iuxta finē.

Locum

CATHOLICA.

17

Locum illum Pauli tractans diligenter ad Ephes. cap. 3. Quæ mihi fuerunt lucra, hæc propter Christum habeo vt detrimenta, &c. Adductis illis verbis, me non arbitror comprehendisse. Et tandem illis: Quotquot ergo perfe- cti sumus, hoc sapiamus, ita inquit exponens, tanquam diceret, si secundum hominis mortalis capacitatem, pro huius vitæ modulo perfecti sumus, ad ipsam perfectio- nem hoc quoque pertinere intelligamus, vt angelica illa, quæ in Christi manifestatione nobis erit iustitia, nondū nos perfectos esse sentiamus. Idem de peccat. merit. & remissione, libro secūdo cap. 15. Ipsum locum Pauli tra- ctans, ex Apostolo testimonium, inquit, paulō antē po- sui, vbi se fatetur in acceptione iustitiæ, quam desiderat, nondum esse perfectum, & tamen cōtinuō dicit: Quot- quot ergo perfecti hoc sapiamus. Quod vtrunque non diceret, nisi in alia re perfectus esset, in alia non esset, ve- lut si iam quispiam sit perfectus sapientiæ auditor, cuius nondum sit perfectus doctor, &c. Ita & superiori loco inquit, sicut possumus dicere perfectum esse viatorem, cuius bene promouetur accessio, quamuis non perficia- tur intentio, nisi fuerit facta peruentio. Idem de san- cta virginitate, cap. decimoquarto. Proinde, quia vx- orem ducere, vel nubere peccatum non est, si autem pec- catum esset, præcepto vetaretur. Propterea de virgini- bus præceptum Domini nullum est, sed quoniam deui- tatis, remissisve peccatis, adeunda est vita æterna, in qua est quædam egregia gloria, non omnibus sed quibusdā ibi tribuenda, cui consequendæ, parum est liberatū esse à peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voueatur, quod nō sit criminis, non vouisse, sed vouisse, & reddidisse sit lau- dis, consilium, inquit, do. Idem lib. primo de adult. coniugis cap. decimoquarto, multa sunt autem faciēda,

D

non

CATHOLICA.

non iubente lege, sed libera charitate, & ea sunt in nostris officijs gratiora, quæ cum liceret nobis, etiam non impendere, tamen causa dilectionis impendimus. Hieron. Epistol. ad Chresiphontem, ubi ipsi citat. Referens hæreticorum obiectionem, possibilia, inquit, mandata dedit Deus & respondens ait: Quis hoc negat, sed quomodo hæc sit intelligenda sententia, vas electionis apertissime docet, ait enim: quod ergo impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, &c. Vbi adductis multis auctoritatibus Pauli, sine gratia confirmat hoc fieri non posse. Idem libro primo, Dialogorum contra Pelagianum. Parum post verba, quæ ipsi citant, adducto illo testimonio Pauli, quod supra August. Quotquot perfecti, &c. ita ait, ex quo perspicuum est, duas in scriptura facta esse perfectiones, primam quidem incomparabilem veritatem, perfectamque iustitiam, Dei virtutibus coaptandam, secundam autem, quæ competit nostræ fragilitati, iuxta illud, quod in Psalmo dicitur: Non iustificabitur in conspectu eius omnis viuens, ad eam iustitiam quæ non comparatione, sed Dei scientia dicitur esse perfecta. Iob quoque, Zacharias, Elizabeth, iusti dicti sunt, secundum eam iustitiam, quæ possit aliquando in iniustitiâ mutari,

DE BONIS OPERIBVS.

VVIR TENBERG.

DOcemus, bona opera diuinitus præcepta, necessario faciendâ esse, & mereri, gratuita Dei clementia sua, quædam, siue corporalia, siue spiritualia præmia. Non est autem sentiendum, quod ijs bonis operibus, quæ nos facimus, in iudicio Dei, ubi agitur de expiatione peccatorum, & placatione diuinæ iræ, ac merito æternæ salutis, confidendum sit: Omnia enim bona opera, quæ nos facimus, sunt imperfecta, nec possunt seueritatem diuinam

VVIR TENBERG.

diuini iudicii ferre. Sed omnis fiducia nostra collocanda est in sola misericordia Dei, propter Filium eius Dominum nostrum Iesum Christum. Psal. 142. Ne intres in iudicium cum seruo tuo, quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis viuens. Gal. 3. Caro concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem aduersus carnem. Hæc autem inter se mutuo aduersantur, ut si non quæcunque volueritis

SCHOLIA CATHOLICA.

a Curn non æterna, & celestia, Deum scilicet ipsum, vide loca scripture, quæ ultimo attulimus in hoc capite.

b Vt ex afflatu gratiæ, & Spiritus sancti, in cordibus nostris impulsu facta sunt, fidimus illis, ut Paulus fidebat cum diceret: Scio cui credidi, & certus sum, quia potens est depositum meum seruare in illum diem. 2. Tit. 1. Premisit enim istis: ob quam causam hæc etiam prior, ob Euangelium scilicet persecutiones, sed non confundor inquit: Scio enim cui credidi, &c. ubi aduerte non confundi apud Paulum spei tribui. Spes, inquit, non confundit, propter eam igitur, nunc, inquit, non confundor: & tamen causa, quare non confunditur, hoc est, speret, depositum est bonorum operum.

c Ex eo quod a nobis habent, & ut a nobis sunt, fatemur, ex eo verò quod a diuino Spiritu, multa sunt perfecta, non vltima illa beatitudinis perfectione, sed pro mensura huius viæ, alioqui cur Paulus inquit, confidens hoc ipsum, quia qui coepit in vobis opus bonum perficiet, ut quæ in diem Christi lesu, ad Philip. 1. & 2. eiusdem, qui operatur in nobis & velle, & perficere.

d Sola, verum est, sed non excludit, quæ ex ipsa misericordia sunt in nobis, bona opera, de quibus dictum: reddet unicuique iuxta opera sua, &c.

e Comparatione (inquit Hieronymus ut supra vidimus) iustitiæ illius consummata, quæ est in beatitudine, alioqui scriptum est, sunt iusti, atque sapientes. Ecclesiast. cap. 9.

f Quæcunque, inquit, hoc est, omnia quæ volumus: volunt sancti, non concupiscere, sed non possunt. Cæterum multa alia bona volunt, quæ & possunt: dante eo, qui operatur & velle, & perficere, de quibus dicitur sanctis, qui in terris sunt eius: mirificauit omnes voluntates meas in eis. Sunt enim bonorum voluntates Christi in eis voluntas, unde Hieronymi translatio habet: omnis voluntas mea in eis impletur, scilicet, & perficitur.

VVIR TENBERG.

eandē faciatis. Rom. 7. Noui quod nō habitat in me, hoc est, in carne mea, bonū. Dani. 9. ^b Nō in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciē tuā, sed in miserationibus tuis multis. August. cōfess. lib. 9. cap. 13. Vae hominum vitā quantumuis laudabili, si remota misericordia discutias eam. Et rursus in Manuali, cap. 22. Tota spes mea in morte Domini mei. Mors eius, meritū meum est, refugium meum, salus, vita, & resurrectio mea. Meritum meum, ^d misratio Domini, nō sum meriti inops, quamdiu ille miserationum Dominus non defuerit. Et si misericordiae Domini multae, multus ego sum in meritis. Gregorius lib. 1. super Ezechielem, Homil. 7. Iustus ergo aduocatus noster, iustos nos defendat in iudicio, quia & nosmetipsos cognoscimus, & accusamus iniustos: non ergo in fletibus, non in actibus nostris, sed in aduocati nostri allegatione confidamus. Bernardus in sermone 1. de Adnuntiatione beatæ Mariæ. Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiae nostrae, non quidem tale testimonium, quale ille superbus Pharisaeus habebat, seducta, & seductrice cogitatione, testimonium perhibens de seipso, & testimonium eius verum non erat: sed cū spiritus ipse testimonium perhibet spiritui nostro. Porro hoc testimonium in tribus consistere credo, necesse est enim primò omnī credere, quod remissionem peccatorum habere non possis,

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Sed statim subiungit: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius? & respondet: Gratia Dei per Iesum Christum, & ne putes deliberatione vltima in beatitudine, infert statim in principio octauī cap. Nihil ergo nunc dānationis est his, qui sunt in Christo Iesu, qui non secundum carnem ambulant, nunc inquit, nihil est in eis dānationis, & non tantum tunc cū scilicet mortale hoc induerit mortalitatem, &c.

^b At

SCHOLIA CATHOLICA.

19

^b At Ezechiel inquit: In iustitia sua viuet, & in hoc ipso loco propheta Danieli promittitur, abbreviatur esse septuaginta hebdomadas, vt consummatur prauaricatio, & finē accipiat peccatū, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna: hæc omnia ad tempus gratiæ pertinent, igitur per illam adducta est iustitia sempiterna, viuit in nobis vera iustitia. Obserua rursus, quod inter miserationes Dei sunt & opera nostra, a quibus fit, vt illa faciamus, non ergo in iustificationibus nostris, vt nostris, & a nobis, sed in miserationibus tuis multis, hoc est, inter cetera, in ipsis operibus nostris, vt a tuis miserationibus, prosternimus preces nostras.

^c Hæc dicit propter multa, sine quibus non viuunt, peccata, & in certum bonorum operum, propter quod Paulus inquit, nihil mihi conscius sum, sed in hoc nō iustificatus, &c. Loquitur Augustinus eo loco de matre sua, & orat pro ea, ita inquit: Fundo tibi Deus noster pro illa famula tua longē aliud lacrymarum genus, quod manat de concusso spiritu, consideratione periculorum omnis animæ, quæ in Adam moritur, non audeo, air, dicere, nullum verbum exisse ab ore eius contra præceptum tuum, & dictum est a veritate Filio tuo: Si quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit Gehennæ ignis: post hæc sequuntur verba hic citata: vt hominum vitæ, &c. vt videas quid in illis Augustinus intelligit. Secundò etiam quod dicit: Si remota misericordia discutias, potest meritò intelligi, cō quod ex misericordia sunt omnia merita nostra, si ne illa ergo vt vitæ hominū, quia nulla sunt opera bona, quem sensum quæ proximè sequuntur, ostendunt, nam statim sequitur post verba hic adducta: quia verò non exquisitis delicta, vehementer fiducialiter speramus aliquem locum apud te inuenire indulgentiæ, quisquis autē tibi enumerat merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? o si cognoscant se homines, & qui gloriantur, in Domino glorientur.

^d Quia non nisi ex miseratione Domini habetur, quod Augustinus sentire satis ostendit, quæ proximè adduximus, ex lib. cōfess. & quæ in catholica cōfessione posuimus, ex lib. de spiritu & litera: tota ergo spes in morte Christi, & in misericordia, quia ab his omnia nostra opera.

^e Fatetur itaque Gregorius nos iustos esse, non sine aliquo peccato, cuius remissio aduocati nostri meritis fit, sicut & quidquid boni est, non est hoc negare merita, aut asserere omnia opera peccata esse, patent hæc apertius in ipsis verbis Gregorij quæ ex eodem loco in catholica cōfessione ponimus.

^f Hoc ideo, quia nec fletus nostri, nec alia quæuis opera, quidquam sunt, nisi præcesserit nostri aduocati allegatio, ex meritis itaque Christi illa profunt, ideo illis fidimus, sicut superius in verbis Augustini ostendimus.

D 3

nisi

nisi per indulgentiam Dei. Deinde, quod nihil prorsus habere queas boni operis, nisi & hoc dederit ipse. Postremo, quod æternam vitam nullis possis operibus promereri, nisi gratis detur & illa.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Dante igitur ipso habemus aliquid boni operis, quod scilicet ad salutem pertineat: de his enim loquitur Bernardus: non itaque negat bona opera, sed ex gratia dicit esse, quod catholica fides tenet.
b Grátis, primò, quia Deus nulli debitor est, & ab illo nihil nisi gratis datur. Secundò grátis, comparatione eius, quod à nobis pro æterna remuneratione fit, ut à nobis est. Tertiò grátis, quia omnia merita nostra dona eius sunt: cum igitur grátis illa dentur, in illis similiter ipsa beatitudo grátis datur, hæc omnia B. Bernar. eo loco explicat: sic enim dicit: Nec enim talia sunt merita, ut propter ea vita æterna debeatur ex iure, aut Deus iniuriā aliquā faceret, nisi ea donaret: ecce prius quod diximus. Sequitur, Bernardus: Nā ut taceā, quod merita omnia dona Dei sunt, & ita propter ipsa magis homo Deo debitor est, quam Deus homini, hoc est, tertium quod diximus. Iam addit & secundum, quid sunt merita omnia ad tantam gloriam, & prius illud Pauli citauerat, Non sunt condignæ passionibus huius temporis: ubi rursus aduerte, quod & bona opera, & merita Bernardus aperte confitetur, sed omnia ex gratia, quare etsi hæc sufficere possunt, tamen non omitam, quod in suspicionem ducor, literam hæc fortè corruptā esse, aut inscitia, aut inaduertentia, facile enim fieri potuit, ut ubi dicendum fuerat dentur in plurali, scilicet, quod referebatur ad opera, & relatiuū illa plurale erat: sic enim inquit, Postremo quod æternam vitam nullis possis operibus promereri nisi gratis, tum si legas in plurali, dentur & illa, scilicet, opera, vides certissimam doctrinam cunctis quæ diximus consonam, tamē si legatur nisi gratis, detur & illa, scilicet, vita æterna, visum est etiam qualiter sanè intelligi debeat, ut nec merita, nec bona opera negentur, ut diximus. Confirmat hoc concilium Araustica. l. capite. 18. Debetur merces bonis operibus, si fiant: sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.

DE BONIS OPERIBVS.

CATHOLICA.

Credit catholica Ecclesia, quod bona opera quæ à Deo præcipiuntur, necessaria sunt ad salutem, & gratia eius fieri à nobis, atque ita habent proprium suū premium,

miū, æternam gloriam. Nec inferius aliquid illa, verum est, & proprium horum bonorum operum præmium. Sentiendum itaque, iuxta catholicæ Ecclesiæ hunc sensum, bonis operibus, quæ ex diuina gratia fiunt ita esse fidendum, ut & ad expianda peccata, iram Dei placandam, & vitam æternam consequendam necessaria sint, & vtilia: nec propterea nobis, sed diuinæ gratiæ propter Christum fidimus. Quanquam enim omnia opera nostra perfectioni gloriæ comparata imperfecta sint, non tamen omnia sunt peccata, sed multa iusta, perfecta, & plena coram Deo inueniuntur humana opera, sed nō aliunde, quā à misericordia Dei, & Christi meritis in nobis. Quare his solis fidimus, non nobis, nec tamen sine aliquo, vel leuiori peccato, propterea credimus iustos in hac vita esse. Genes. cap. 7. Iob 1. & 2. Luc. 1. Dicit Dominus ad Noë, te vidi iustū corā me in generatione hac. De Iob dicitur, quod erat simplex, & rectus, & timens Deū, & rursus in omnibus his non peccauit. De Zacharia, & Elizabeth dicitur, erant iusti ambo ante Deum. Rom. cap. 8. Vos autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamē spiritus Dei habitat in vobis. Et statim: Si autē Christus in nobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum, spiritus verò viuut propter iustificationem. Ibidem: Ergo fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem viuamus: Si enim secundum carnem viueritis, moriemini: Si autem spiritu facta carnis mortificaueritis, viuētis: quicumque enim spiritu Dei aguntur, hi filij Dei sunt. Ezechiel. 18. De impio poenitentiam agente, quod supra citauimus, dicitur: In iustitia sua quam operatus est viuet. Et mox: cum auerterit impius ab impietate, quam operatus est, & fecerit iudicium, & iustitiā, ipse animam suā viuificabit, &c. Matthæ. cap. 3. D 4 Genes.

Genesis decimoquinto, secundo Corinth. quarto. Primo loco: Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra multa est in celo. Secundo loco, dicitur Abraham: Ego merces tua magna nimis. Tertio, inquit Paulus: id quod in presenti est, momentaneum, & leue tribulationis nostre supra modum, in sublimitate eternum gloriæ pondus operatur in nobis. Augustinus libro primo contra duas Epistolas Pelagian. cap. decimoquarto. Citatis illis locis Pauli, de ordinatione ministrorum Ecclesiæ. Tit. primo: Si quis sine crimine est. Iterum: Oportet Episcopum sine crimine esse. Multi quippe, inquit, Baptizati fideles sine crimine sunt, sine peccato autem in hac vita neminem dixerint, quantumlibet Pelagiani, quia hæc dicimus, inslentur, & dirumpantur insania, non quia peccati aliquid remanet, quod in baptismo non remittatur, sed quia in nobis, in huius vitæ infirmitate manentibus, quotidie fieri non quiescunt, quæ fideliter orantibus, & misericorditer operantibus, quotidie remittantur. Hæc est fidei catholicæ sanitas, quam sanctus ubique seminat Spiritus, non prauitatis hæreticæ vanitas, & præsumptio spiritus. Idem libro de gratia, & libero arbitrio, cap. septimo. Si ergo dona Dei sunt bona merita tua, non Deus coronat merita tua, tanquam merita tua, sed tanquam dona sua. Quod ibi ex verbis Pauli efficaciter probat, ostendens cuncta, quæ ille dicit secundo Timoth. quarto: Bonum certamen certavi, &c. propter quæ dicit: reposita est mihi corona iustitiæ, eadem inquam ipsa dona Dei esse, Paulo teste. Gregorius ipsa Homilia septima in Ezechielem, quam ipsi citant. Iustos asserit esse in hac vita, & perfectos quilibet, inquit, peccator conuersus in fletibus, iam iustus esse inchoat, cur enim iustus non sit, qui contra suam

suam iniustitiam; iam per lacrymas scruit: Paulò antè, necesse est, inquit, ut nos qui paruuli sumus, perfectorum semper & virtutes, & lacrymas ante mentis nostræ oculos ponamus. Augustinus de gratia, & libero arbitrio, cap. nono. Cum Apostolus prius dixisset: stipendium peccati mors, meritò enim stipendium, quia militiæ diabolicæ mors æterna tanquam debitum redditur. Vbi cum posset dicere, & rectè diceret: Stipendium autem iustitiæ, vita æterna, maluit dicere: gratia autem Dei vita æterna, ut hinc intelligeremus, non pro nostris meritis, Deum nos ad æternam vitam, sed pro sua miseratione, perducere, de quo Psalm. dicit: Homo animæ suæ, qui coronat te in misericordia, & miseratione, nunquid non corona bonis operibus redditur? Sed quia ipsa opera bona ille in bonis operatur, de quo dictum est: Deus est enim, qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona voluntate, ideo dixit Psalm. Coronat te in misericordia, & miseratione, quia ex eius miseratione bona operamus, quibus corona redditur.

SCHOLIA.

^a Hanc reddimus, illi Bernardi, quia apertè Augustinus hic ostendit & merito nostra, & Dei gratiam, & certè Bernardus etiam illo sermone, & libro de gratia, & libero arbitrio non negat merita, sed ex gratia illa esse inquit: ut hic Augustinus tam apertis verbis docet.

DE EVANGELIO

CHRISTI.

VVIRTENBERG.

ET si in scriptis Euangelistarum, & Apostolorum continentur, multa præcepta diuinæ legis, & Christus ipse docet, non esse malum malo reddendum, nec mulierem impudicè aspiciendam, & id genus alia: tamen non est sentiendum, quod Euangelion Christi sit

VVIR TENBERG.

noua lex, qua sicut olim patres in veteri testamēto, i ve-
teri lege saluati sunt, ita nunc homines in nouo testa-
mento, noua lege saluentur. Nisi enim nomen legis ge-
neraliter pro doctrina accipias, quemadmodum Prophe-
ta aliquoties nomine legis vsi sunt, certē Euangelion
Christi propriē nō est lex, sicut Paulus legis nomine vsi
solet, sed est bona, & laeta adnuntiatio de filio Dei do-
mino nostro Iesu Christo, quod ipse solus sit expiator
peccatorum nostrorum, placator irae Dei, & redemptor,
ac seruator noster. Nec praecepta legis, quae continen-
tur in scriptis Apostolicis, sunt noua lex, sed sunt vete-
ris legis, iuxta sententiam Spiritus sancti, explicatio, quae
& ipsa haud obscure antea in prophetis scriptis extant.
Repetuntur autem in praedicatione Euangelij Christi, vt
ostensa diuinā legis seueritate, & naturae nostrae corru-
ptione, ad quaerendum, & amplectendum Christum,
Euangelio suo reuelatum, excitetur, & vt cognosca-
mus, ad quam regulam, vita nostra ex fide in Christum,
sit dirigenda. Quare si propriē de lege Dei, & Euange-
lio Christi loquendum est, sicut nec ex Christo facien-
dus est nouus legislator, cum nec nouam legem tulerit,
nec nouum politicum regnum in his terris institue-
rit: Ita nec ex Euangelio facienda est noua lex, quae du-

CATHOLICA SCHOLIA.

a Testamentum, & lex pro eodem a Paulo frequētissimē accipiuntur,
vnde sicut ponit veterem, & nouam legem, ita vetus, & nouum testa-
mentum, ad Galatas 4. & Hebraeorum capite 9. & 10. ita etiam Hiere-
mias ipse, cum testamentum promitteret nouum, dabo inquit statim
leges meas: euangelium verō, quod & Christus, & Apostoli adnuncia-
uerunt, certē non aliud est, quā ipsum testamentum nouum, & lex
noua.

b Nullus orthodoxorum patrum dicit lege veteri saluatos aliquos,
hoc est, eius virtute: quod significat hoc verbum, non enim tantum di-
cunt consistentes nostri in veteri testamento, sed etiam lege veteri, de
qua Paulus apertē inquit, quod nihil ad perfectū adduxit, Hebr. ca. 7.

c. Quod

SCHOLIA CATHOLICA.

22

e. Quod ad nomina haec attinet Euangelij, & legis, certum est Paulū
legem veterem, & mortis, atque literae occidentis, opponere legi no-
uae, quam & legem spiritus vitae vocat. vt patet ad Romanos 7. iam vt
Augustinus libro de spiritu, & litera, & docet, & efficaciter probat, ad
literam occidentē, scriptura omnis, & quidquid exterius proponitur,
pertinet, ad legem verō nouam, vnctio illa, & charitas diffusa in cordi-
bus, illa enim astringimur ad aliquod agendum, & efficimur rei si non
agamus, per istam verō Spiritus sancti vnctionem, fit vt operemur, ex
hoc fit vt in Euangelio, siue in nouo testamento aliud sit scriptura ipsa,
vel adnuntiatio Euangelij, aliud verō lex ipsa spiritus, & noua. Itaque,
si apertē sine inuolucris loquendum est, distinguamus legem nouam,
testamentum nouum, Euangelium, a scriptura siue libris noui testa-
menti, siue cum scribuntur, siue cum adnunciatur, & sic nulla est ambi-
guitas. Euangelium, & nouum testamentum sunt noua lex, indita cor-
dibus, quae est propriē noua lex, scriptura verō ad haec pertinens, siue
praedicatio, nō propriē lex noua, sed ad eā pertinet scriptura dicēda est.
d. Non est dubium in Euangelicis literis, & Apostolicis, explicata esse
multa praecepta veteris legis iuxta Spiritus sancti sensum, vt patet toto
illo loco Matth. 5. Audistis quia dictum est antiquis, non moechaberis,
non occides, &c. sed sunt quaedam alia, quibus ea, quae veteris legis
erant, siue permissiones, siue praecepta reuocantur, vt lex repudij. Mat-
th. 19. & circumcisio, & aliae caeremoniae, de qua Paulus inquit: Si cir-
cuncidamini, Christus vobis non proderit. Alia denique sunt propria
nouae legis: nisi quis natus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, & similia.
Haec scripta non sunt propriē noua lex, sed sunt exterior explicatio
eius, sed cum per gratiam Spiritus sancti cordibus persuadentur, haec
est veraciter noua lex: haec tamen omnia, & in quibus reuocatur quae-
dam legis, & in quibus edūtur noua, nec aliena sunt, neque contraria,
sed in ea etiam adumbrata erant.

e. Adde vt etiam per gratiam impleantur.

f. Contraria horum omnium habes in locis scripturae in catholica con-
fessione citatis.

g. Durioribus, & seuerioribus, non certē, sed suauioribus, & placis-
simioribus: quia a Spiritu sancto vnctione sua persuadentur, quae est
vera lex noua, sed si aspicias ad exteriorem doctrinam, vel scripturam,
duriora certē sunt nonnulla, vt illud propter quod dixerunt Aposto-
li, Matth. 23. Si ita est causa hominis cum vxore, melius est non nubere,
& similia. Propter quae etiam intelligi potest, illud dictum: Nisi
abundauerit iustitia vestra plus quā scribarum, & Phariseorum,
&c. quanquam non negetur & aliter posse intelligi.

rioribus,

VVIR TENBERG.

moribus, & feuerioribus præceptis afferat factoribus æternam salutem. Sed pro certo habendum esse existimamus, quod vna, & eadem sit lex naturalis, seu moralis veteris, & noui testamenti, & quod nec veteris, nec noui testamenti hominibus cōtingat æterna salus^b propter merita operum legis, sed tantum propter meritum Domini nostri Iesu Christi per fidem. Lucæ 4. Recitat Christus ex Esaia officium suum, ad quod in hanc terram missus sit, Spiritus Domini, inquit, super me, ed quod vnxit me, ad Euangelizandum pauperibus misit me, &c. Hic docet Christus proprium suum officium esse non^d ferre nouam legem, quæ terreat, & occidat miseros peccatores: sed adnuntiare Euangelion, quod peccatores confoletur, & viuificet. Gal. 4. Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt^e eos qui sub lege erant redimeret, vt adoptione ius filiorum acciperemus. Act. 15. Quid tentatis Deum, vt imponatur iugum super ceruices discipulorum, quod neque patres nostri, neque nos portare potuimus: sed per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quemadmodum & illi. August. contra Adimantium Manichæi discipulum, cap. 3. Certis quibusdam vmbis, & figuris rerum, ante Domini aduentum, secundum mirabilem, & ordinatissimam distributionem temporum, populus ille tenebatur, qui testamentum vetus accepit, tamen in eo tanta prædicatio, & prænuntiatio est noui testamenti, vt nulla in Euangelica, atque Apostolica disciplina reperiantur, quamuis ardua, & diuina præcepta, & promissa, quæ illis etiam libris veteribus desint.

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Non est dubium, quod lex naturalis cum à natura sit, semper manet, & obligat, siue tempore legis veteris, siue nouæ, sed est lex ceremonialis

SCHOLIA CATHOLICA.

23

nialis, in qua scilicet de cultu, & ratione eius statuitur, & est lex iudicialis, in qua de ratione aut puniendi peccata, aut medendi ipsis: hæc duo diuersa sunt in lege noua, & veteri.
^b Vt à nobis sunt, verum est: vt ex Dei gratia & Spiritus sancti cooperatione, falsum, vt satis probatum est.
^c Non propterea excluduntur opera, quæ merito & virtute eius in nobis fiunt, sicut palmes, inquit, non potest ferre fructum à semetipso, ita nec nos, &c.
^d Quæ terreat, & occidat, verum est, tamen quæ alliciat & viuificet, legem ferre, ipsius esse, hoc etiam loco Esaia probatur, & alijs quæ adduximus.
^e Sub lege, proculdubio veteri, de ealoquitur aperte, vt totus contextus ostendit, sub illa erant per timorem, redimuntur verò infusa luce charitatis, qua agnoscantur, & impleantur omnia, prout necesse est.
^f Legalia non esse imponenda gentibus probat hic locus, nec necessaria esse, sed non aufert præceptum baptismi, & alia propria nouæ legis, & Christianæ fidei, quæ omnia per gratiam implentur, & ideo merito dicitur: per gratiam Domini nostri Iesu Christi credimus nos saluos futuros, quia per illum implentur præcepta.
^g Hic habes ab Augustino distingui nouum, & vetus testamentum, quæ certè idem sunt, quod noua, & vetus lex. Nec aliud probat hic locus, quam quod nulla reperiantur in doctrina Euangelij, & Apostolorum, quæ non sint in libris veteris legis vel adubrata, vel alia ratione tacta, etsi non aperte. Vnde non esse Euangelium cōtrarium, vel alienum à lege veteri habetur: sed differunt, sicut perfectio ab imperfecto in eodem genere. Quanquam & Augustinus hoc quod dicit, nulla esse in Euangelijs, aut Apostolorum literis, quæ non reperiantur in veteri lege, retractauerit, non vt omnino falsa, sed minus modesta. Modestius, inquit, diceretur, penè nulla. Ita lib. retract. cap. 12.

DE EVANGELIO CHRISTI.

CATHOLICA.

Credit catholica Ecclesia, à Christo nouam legem datam, nouumque testamentum conditum. Legem, inquam, spiritus vitæ, à lege veteri, & mortis distinctam, & testamentum æternum in sanguine suo, aliud à veteri illo testamento in seruitutem generante. Quam legem, & testamentum euangelizauit ipse, præunte Ioanne Baptista, & sequentibus Apostolis, & Prophetæ promiserunt,

CATHOLICA.

serunt. Et quanquam hæc noua lex, & testamentum, propriè nulla est exterior aut prædicatio, aut scriptura: opus tamen est & prædicatione, dicente Paulo: quomodo audient sine prædicante, & scriptura etiã opus fuit, quatenus Spiritui sancto placuit: Hæc spiritualia, & noua, lex, & testamentum, continent & alia præcepta, & alia Sacramenta ab his, quæ erant veteris legis, & testamenti, quibus nouis, nouus populus in noua, & cælesti politia, atque spirituali, quæ humanas politias, legitimas quidem in se conuertit, illegitimas damnat, sub nouo sacerdotio, & nouis ritibus, & nouo genere gubernationis, congregatur. Non tamen hæc vel contraria, vel aliena sunt ab illis veteribus, sed in illis figurata, & inclusa, nunc verò manifestè reuelata, & ostensa. Nec noua hæc, propterea vera fides ideo iudicat, quasi posterius coeperint, & vtilia fuerint hominibus, cum nullum ab initio ipso humani generis, nisi ad nouum hoc testamentum, & legem pertinentem, saluum fuisse asserat, sed noua sunt hæc, quòd nouum hominem faciant, & posterius reuelata fuerint, & quæ ad ea pertinent, exteriora Sacramenta videlicet, & politica instituta. Esaiæ tricesimotertio. ^a De tẽpore aduentus Messie ita inquit: Dominus enim iudex noster, Dominus magister noster, Dominus rex noster ipse saluabit nos. Et rursus eiusdẽ decimosexto: Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super eum in tabernaculo Dauid iudicans, &c. Danielis secundo: In diebus autem regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur, comminuet autem, & consumet vniuersa regna hæc, & ipsum stabit in æternum, secundum quod vidisti, quod abscessus est lapis de mōte sine manibus, &c. Ioannis decimo octauo:

non.

CATHOLICA.

24.

non negat se Christus regnum habere, sed non est, inquit, de hoc mundo. Matthæi decimosexto: ædificaturũ se promittit Ecclesiam, cui postea decimo octauo capite auctoritatem tradidit iudicandi de peccatis: Si peccauerit in te frater, &c. Dic Ecclesie, &c. Et soluendi atque ligandi. Quicquid solueritis, &c. Matthæ. quinto. Nisi abundauerit iustitia vestra plus quàm Scribarum, & Phariseorum, &c. Et decimo quinto cap. abrogat legem veterem de discretionẽ ciborum: non quod intrat per os coquinat hominem. Et apertius Actu. decimo: Quod Deus sanctificauit, &c. Et Matthæ. decimonono legem de permittendo libellum repudij abrogat. Ioannis tertio promulgat legem de necessitate baptismi, & multa alia noua præcepta, & noua Sacramenta ad salutem necessaria tradidit Christus. Gal. quarto. Abraham duos filios habuit, &c. Hæc enim sunt duo testamenta, vnum quidem in monte Sion, in seruitutẽ generans quæ est Agar, &c. Et post omnia concludit: Itaque non sumus ancillæ filij, sed liberæ, secundo Corinth. tertio: Idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera, sed spiritu. Littera enim occidit, spiritus autem viuificat. Et ibi statim literam occidentem ad Moysis legem refert, vocas illam ad ministrationem mortis. Roman. octauo dicit: Lex spiritus vitæ in Christo liberauit me, à lege peccati, & mortis. Et vbi non Paulus ista disertissimè docet: nam denique hæc omnia prophetia etiam confirmat. Ad Heb. decimonono, & octauo, adducens verba Hierem. 31. cap.

SCHOLIA.

^a His auctoritatibus Christus, nouus legislator ostenditur: quòd ab eo sit noua lex, nouum regnum politicum, nouus populus, noua gubernatio, quare mirandum, cur hæc negent noui Euangelistæ, maxime cum ad sua fulcienda nec adiuvant, quæ de eis dicunt, nec nobis quidquam detrahunt.

Con.

CATHOLICA.

Consummabo super domum Israël, & super domum Iuda testamentum nouum, &c. Et post pauca: Dabo leges meas in cordibus eorum, &c. vnde primò arguit dicendo inquiens nouum, veterauit prius, & deinde noui testamēti mediatorem dicit Christum, vt morte, inquit, intercedente, in redemptionem earum prauaricationū, quæ erant sub priori testamēto, & ibidem septimo cap. reprobatio sit prioris mandati, propter infirmitatem, & inutilitatem eius, nihil enim ad perfectum adduxit lex. Galat. cap. tertio. Hoc autem dico testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos, & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem: nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione. Et post pauca: Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur: at vbi venit fides, iam non sumus sub pædago. Et secundo cap. Per legem legi mortuus sum, vt Deo viuā. Et multis alijs locis idē. Augustinus de spiritu, & litera, cap. decimono in fine vsque ad cap. 25. Quam disertis verbis discrimen ponit noui & veteris testamenti, citato enim loco Hierem. tricesimiprimi cap. consummabo super domum Israël testamentum nouum, &c. ait statim 20. cap. ergo illud vetus erat, hoc nouum est. Vnde igitur illud vetus hoc nouum? cum lex eadem impleatur per testamentum nouum, quæ dixit in veteri: non concupisces, &c. Et concludens inquit: Ergo propter veteris hominis noxam, quæ per literam iubentem, & minantem minimè sanabatur, dicitur illud testamentum vetus, hoc autem nouum, propter nouitatem spiritus, quæ hominē nouum sanat à vicio vetustatis. Et sequenti capite: Quid sunt ergo leges Dei ab ipso descriptæ in cordibus, nisi ipsa præsentia Spiritus sancti, qui est digitus Dei? Tandē 25. cap. ita

CATHOLICA.

25

ita inquit: Cum testamentum nouum propheta promitteret, &c. nihil eum de sacrificiorum, vel quorumcūque Sacramētorum mutatione dixisse, quamuis & ipsa proculdubio fuerant secutura, sicut secuta videmus, quod multis alijs locis eadem prophetica scriptura testatur, sed tantummodo istam commendasse distantia, quod leges suas daturus esset Deus in mentibus eorū, qui pertinent ad hoc testamentū. Item lib. 3. cōtra duas Epist. Pelagiani. cap. 4. statim in principio. De veteri testamēto loquens, ita inquit: sed quia in eo præfigurabatur nouum, qui hoc intelligebant: tunc homines Dei secundum distributionem temporum, veteris quidem testamenti dispensatores, & gestatores, sed noui demonstrantur hæredes. An verò illum ad testamentum nouum negabimus pertinere: qui dicit: Cor mundum crea in me Deus, & deinde, exceptis quippe librorum veterum Sacramētis, quæ solum significandi ratione præcepta sunt, cætera certè ad pietatem, bonosque mores pertinentia, non ad aliquam significationem, vllā interpretatione referēda, sed prorsus vsunt dicta, facienda sunt.

DE SACRAMENTIS.

VVIR TENBERG.

NOmen Sacramēti, sicut & nomen mysterij, (quod interpretes Sacramentum exponunt) latissimè patet. Sed quia visum est quibusdam, numerum Sacramētorum in septem contrahere, percurreremus singula, vt

SCHOLIA CATHOLICA.

2 Nullus catholicorum est, qui nomen sacramēti contrahat ad sepræ ista, sed ecclesia septem agnoscit, à Christo domino instituta, ex rebus sensibilibus remedia, & sanctificationes animarum, quæ sacramenta etiam dici meritis asserit eadem catholica Ecclesia: necesse plures rerū visibilium sanctificationes, à Christo ecclesie sue dimissas, per quas, tanquam per certa instrumenta gratiæ suæ, ille operetur salutem.

E.

osten-

VVIR TENBERG.

ostendamus quid in doctrina quorundam scriptorum desideremus, & quid cum sententia veræ catholicæ, & orthodoxæ Ecclesiæ pugnare videatur.

DE SACRAMENTIS.

CATHOLICA.

Credit certò catholica Ecclesia, septem esse Sacramenta, hoc est septem quædam corporea elementa, quæ ex rebus materialibus visibiliter perficiuntur, à Deo instituta, ad gratiam suam, nostræ salutis necessariam, in nobis operandum, atque ita ad nos perficiendū, in cultu suo, secundum Christianæ religionis ritum. Septem, inquit, nec plura, nec pauciora. Hæc Sacramenta ita dicimus: ut tamen nomen Sacramenti ad multa alia non dubitemus extendi.

DE BAPTISMO.

VVIR TENBERG.

AGnoscimus Baptismum tam infantibus, quam adultis, in Ecclesia usque ad novissimum huius sæculi diè, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, ex institutione Christi dispensandum, & ipso utendum esse. Credimus etiā, & confitemur, quod Baptismus, sit mare illud, in cuius profundū, sicut Propheta ait, Deus projiciat omnia peccata nostra, & condonet ea propter Christum filium suum, per fidem. Sed quod aliqui docent, peccatum remanens post baptismum in homine, non esse natura sua verè peccatum, existimamus perniciosiorem esse errorem, quam vulgus hominum iudicat, etsi enim non dubitamus, peccatum, quod post baptismum remanet, credenti condonari propter Christum, & ex gratuita clementia Dei, non ampliùs coram tribunali Dei imputari, tamen si naturam eius expendas, verè est in se peccatum, propter quod, ut Augustinus suprà dixit:

VVIR TENBERG.

dixit: Non iustificatur in conspectu Dei omnis vivens, & non est iustus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Ad Rom. 7. Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Hic loquitur Paulus de peccato remanente post baptismum, & affirmat illud repugnare legi mentis suæ, hoc est, affectui

SCHOLIA CATHOLICA.

- a Adde, dispensandum in remissionem peccatorum, ut sit integræ fides, iuxta illud Petri baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.
- b Adde, vel sacramentum fidei, propter parvulos, & incapaces fidei.
- c Quomodo remanens, si omnia peccata condonata sunt, ut iam diximus. Catholica igitur fides, nullum remanere dicit peccatum, ut in eius confessione habes.
- d Si errant Petrus, & Paulus dicentes in remissionem peccatorum nos baptizari, & per baptismum mori peccato.
- e Addite, vel suscipienti fidei sacramentum, non satis est parvulis, dicere ministrandum esse baptismum, nisi & remitti eis simpliciter peccata dicatis, sed ex hoc verbo, neque condonari conceditis, cum revera non credant.
- f Verum est, sed non solum, hoc enim non imputari, revera est aboleri, & non manere, ut ex Augustino inferius ostendimus.
- g Augustinus oppositum omnino dicit, ut in primo loco eius, quem adduximus habes, est peccatum iuxta tropum, iuxta quæ scriptura dicitur manus, vel frigus pigri.
- h Augustinus propter concupiscentiæ actus, in quo si illa prorumpit quinonnulla peccata sunt, etiam cum eis non consentitur, illud aperte sine, & disertissime dicit, patet aperte cap. 39. lib. 1. de peccat. meritis. & remiss. ubi quia non huius concupiscentiæ totis voluntatibus viribus, vel perignorantiam, vel infirmitatem resistimus, dictu fuisse, inquit, ab eo, qui hoc novit, quod non iustificatur in conspectu Dei omnis vivens.
- i Melius diceret, de concupiscentia remanente: nam peccatum Pauli ibi non vocat, & cum vocat, audiamus qualiter intelligendum sit, si, gucatè, scilicet, non proprie.
- k Hoc itaque Paulus vocat peccatum, ipsum appetitus actum, in contraria legis. Contra concupiscentia ipsa cum quiescit post baptismum, iam non est peccatum.

VVIR TENEBRIS

Spiritus sancti. Quod autem repugnat Spiritui sancto, certe re ipsa verè peccatum sit, necesse est: nam hæc est natura peccati, vt pugnet cum Spiritu sancto. Ad Gal. 5. Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem, hæc enim inter se mutuo aduersantur, vt nō quæcunque volueritis eadem faciatis. Hic iterum loquitur Paulus de peccato remanente post baptismum, & tribuit ei manifestè naturam peccati, videlicet concupiscere aduersus spiritum, & aduersari spiritui, ac impedire, ne perfecta iustitia in homine fiat. Quare peccatum post baptismum remanēs, natura sua verè est peccatum, & si credenti non imputatur, sed propter Christū condonatur. Aug. de nupt. & concu. ad Valer. lib. 1. cap. 25. Respondetur, dimitti concupiscentiā carnis in baptismo, non vt non sit, sed vt in peccatū non imputetur. Quāuis autem reatu suo iam soluto, manet tamen donec sanetur omnis infirmitas nostra, &c. Et iter. de Bapti. paruulorum, & de conf. dist. 4. ca. per Baptismum. Per baptismum id agitur, vt caro peccati euacuetur, non autem sic euacuatur, vt in carne concupiscentia innata non sit, sed ne obsit. Deinde docemus eum, qui baptizatur in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, vngi spirituali Chrismate, hoc est, fieri membrum Christi per fidem, & donari Spiritu sancto, vt ad percipiendā celestia aures mentis eius aperiantur, oculi cordis illustrentur. Ac manifestum quidem est, quod vsus externi Chrismatis fuerit in politia Mosaica legitimus, & quod externū Chrisma sit etiam in Ecclesia post diuulgatum Euangelium

SCHOLIA CATHOLICA.

a Diabolus ergo peccatum est, & hereticus, & peruersus homo peccatum, hæc enim repugnant Spiritui sancto, sed peccata sunt primationes ipsæ, & defectus, quibus repugnamus nos Spiritus sancti operationibus in nobis, vt cæcitas visui repugnat.

b Ver

SCHOLIA CATHOLICA.

27

b Verius dicetis de peccato, quod committitur post baptismum, quando, scilicet, caro concupiscit contra spiritum, non verò de peccato, quod manet in eo, qui nihil concupiscit contra spiritum, quale vos dicitis, & vera fides negat.

c Mira impostura, vide quod sequitur post paucas lineas sequenti cap. explicat ipse Augustinus, quid sic hæc non imputatio, scilicet, non esse reum peccati in his, ergo inquit, qui regenerantur in Christo, cum remissionem accipiunt prorsus omnium peccatorum, vti que necesse est, vt reatus etiam huius licet adhuc manentis concupiscentiæ remittatur, vt in peccatum, sicut dixi, non imputetur. Vide rogo, primò hæc Augustinum remissionem omnium prorsus peccatorum docentē fieri in baptismo. Secundo hanc remissionem esse non imputationem peccati, quod statim ita explicat ex actualibus peccatis: nam sicut eorum peccatorum, quæ manere non possunt, quoniam cum sunt, prætereunt, reatus tamen manet, & nisi remittatur in æternum manebit: sic illius concupiscentiæ quando remittitur reatus auferitur, hoc est enim non habere peccatum, reum non esse peccati. Itaque apud Augustinum remitti, est reatum auferri, non manere reum peccati: quod ipse vocat non imputari, quod certè probat apertissime in his, quæ diximus inam actuale peccatum manere non est actu fieri, vel esse, sed reatum tantū, ex quo e contrario arguit statim cap. 17. Ita enim concludit de actualibus peccatis in fine cap. 16. Sed quomodo manent si præterita sunt, nisi quia præterierunt actu, manent reatu: & statim sic itaque inquit fieri e contrario potest, vt etiam illud maneat actu, prætereat reatu, quod de concupiscentia dicit, ex quibus, quæ hic referuntur verba, satis possunt intelligi.

d Iam apertè vidimus Augustin. asserere simpliciter non esse peccatum, sed in hoc ipso loco, quem citant lib. videlicet. de peccato merit. & remis. cap. ultimo apertè eadem docet, de adultis, ita dicens: ipsa verò, scilicet, concupiscentia solutos reatus vinculo, quo illam Diabolus animā retinebat interclusione destructa, quæ hominem a suo creatore separabat maneat in certamen, quo corpus castigamus, scilicet, &c.

e In ecclesia inquam, vniuersali, cuius Amb. testis est, 1. lib. de his, qui initiantur cap. 6. & 1. cap. lib. de Sacrament. vbi de vñctione quæ hic in capitulo loquitur, & Diony. Areo. quem grauissima antiquorum auctoritate constat librum de Ecclesiast. Hierar. scripsisse. Is igitur cap. 1. illius libri apertè dicit, iungi baptizandum, sed & aquam ipsam baptismatis Chrismate, quod vnguentū vocat, perfundi, & cap. 4. hoc vnguento vti Pontificem ad omnem sacerdotalis officij functionem. Contra hos igitur, & Ecclesiam pugnant, qui hæc negant.

E 3

visitatum

usitatum. Sed manifestum etiam est, quod in lege Moyfi fuerit tempus umbrarum, nunc autem reuelato Christo, sit tempus veritatis. Et usus externi Chrismatis pertinet ad elementa mundi. De abrogatione autem horum elementorum dicit Paulus. Ad Col. 2. Si mortui estis cum Christo ab elementis mundi, quid adhuc, tanquam viuentes in mundo, his decretis ^b tenemini? Et Dionysius, quem Areopagitam vocant, & quem ^c putant descripsisse ritus Ecclesie ab Apostolis traditos, significat quidem externum Chrisma fuisse in Ecclesia usitatum: sed significat etiam haud obscure, hunc ritum partim ab athleticis vnctionibus Ethnicorum, partim ex lege Mosaica sumpta esse. Qua vero auctoritate, & utilitate ^d petantur exempla colendi Dei, & administrandi Sacramenta ab Ethnicis, testatur dictum illud Moyfi: Deut. cap. 12. ^e Caue ne imiteris Gentes, & requiras caeremonias eorum, dicens: Sicut coluerunt Gentes istae Deos suos, ita & ego colam. Non facietis similiter domino Deo vestro. Et illud dictum Christi, Matthaei 15. Frustra colunt me docentes doctrinas, & praecepta hominum, Et non est obscurum, quod caeremoniae Mosaicae, quarum una pars est externi Chrismatis usus, pertineant ad elementa huius mundi, quorum decretis, Paulus supra dixit, nos non teneri, & de quibus alias dicit: Posteaquam cognouistis Deum, quin potius cogniti estis a Deo, quo modo conuertimini denuo ad infirma, & egena elementa, quibus iterum ab integro ^f seruire vultis? Praeterea, quomodo confectio, seu ritus externi Chrismatis ab Apostolis ipsis traditus esse, vt Fabianus scribit, verè affirmari posset, cum acta conciliorum ^g testentur, hunc ritum institutum esse a Syluestro? Et Ecclesiastica Hystoria tradit, non fuisse propositum Apostolorum, vt cederent Leges de die-

a Non

a Non magis certè quam prohibitio sanguinis, & suffocati, quae tamè Apostoli seruare iubent decreto Spiritus sancti.
b Teneri, non est ea seruare, quia conuenientia Christiano cultui à praelatis Ecclesiae indicata fuit, lege loca, quae adduximus Leonis: teneri igitur est, tanquam ex lege necessaria obseruare.
c Imò ipsi Dionysius Areop. illos scripsisse, & septima synodus, vt habes cap. Omnes, 38. d. testatur, ex eo libro auctoritatem adferens & Gregor. & Damal. & multi alij agnoscunt, citantes testimonia ex alijs eius libris.
d Errauit igitur Ecclesia, errarunt Apostoli, templa construentes, habentes sacerdotes & multa alia, quae & gentiles habent: ac certum est, haec omnia à Spiritu sancto, qui omnem docuit veritatem fuisse, quam in gentibus lumine quodam naturali simile aliquid obseruetur, tale est Chrisma hoc Diony. Ambro. & Fabiano testibus, vt supra diximus.
e Non imitatur gentes, sed Spiritus sancti, & Apostolorum magisteriaque in ipsis sunt rationi naturali, & religioni nostrae consona, tanquam ab iniquis possessoribus auferimus, seruitura in tabernaculo Domini, habemus fide dignos testes horum, quos citauimus.
f Non sunt hominum, sed Spiritus sancti, quae constat Ecclesiam seruare.
g Seruire est illis, tanquam quibus tenemur subiacere, non verò assu mere ex eis, quod fidei, & cultui Christiano conuenit, aut certè iuxta August. lib. 7. de doctri. Christi. cap. 2. sub signis seruire, est venerari ea, ignorantes, quid significant, & tamen, eodem teste, etiam qui non intelligit quod significat, sed tamen esse signum agnoscit, non premittitur seruitute, quare cauendum fuit his doctoribus, ne vt (ibi August. inquit) à iugo seruitutis erectam ceruicem laqueis erroris insererent, quod certè fecerunt, tam temere reiicientes, quae tanta auctoritate recepta sunt in Ecclesia.
h Imò, quomodo fieri potest, vt Syluester instituerit ritum Chrismatis, cum constet Dionysium, & Fabianum multò antiquiores eo, dicere, ab Apostolis traditum, & Fabianum nominatim, ecclesias, Romanam, Antiochenam, Hierosolymorum, & Ephesianorum, in quibus Apostoli praefuerunt, hoc ab ipsorum tempore custodisse: quod igitur de Syluestro à quibusdam refertur, de usu Chrismatis in consecratione altarium, aut templorum, illa non quasi de nouo instituta ab eo, necesse est credi: sed vel fortassis explicata magis, aut restaurata, si alicubi oblitterata erant, vel si hoc de nouo institutum fuit, non propterea in vniuersum usus Chrismatis ab eo, institutus dici debet.

E 4

bis

VVIRITENBERG.

bus festis, sed vt docerent rectam cōuersationem, & veram pietatem, a quanto minus propositum eorum fuit, externas vñctiones in Ecclesia instituere, & vñctas in exortum clarissimi solis splendorem inducere. Accesserunt baptismo etiam aliæ quædam ceremoniæ salis, luti, vestium, sed quia hæ non iudicantur necessariae, etiam ab ijs ipsis, apud quos sunt vsitatae, & quia sunt aliqua ex parte otiosa, eorum rituum, quibus Christus aliquoties in edendis miraculis vsus est, imitatio: non est ^b cur de ipsis aliquam curam, in occupatione tot necessariarum rerum, suscipiamus.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Ipsa Ecclesiastica historia, Cornelij Papæ auctoritate, Christum vñctum ponit de quo inferius, de confirmatione dicemus, denique Dionysius, & Fabianus testatur, ab Apostolis hoc institutum, quantum ergo valet hæc vestra coniectura tam leuis?

b Vultis igitur Ecclesiæ sensui vestrum præferre? quam hoc sit temerarium quis non videt? ostendimus ex August. quanti sint hæc faciendæ, quæ tota seruat Ecclesia, & nunc speciatim de his audiamus Fabianum sanctissimum martyrem, de quo Eusebius sexto lib. Eccle. hist. cap. ii. narrat, quod indicio columbæ fuerit electus. In epistola i. ad omnes orientales Episcopos ita loquitur: illa autem quæ circa diuina mysteria, & erga baptizandos in vniuerso mundo sancta Ecclesia consuevit agere, non otioso contemplanda sunt intuitu.

c Et tamen multa horum suscepimus, abiurationes videlicet, lectiones Euangelij, & quædam alia, nisi forte vobis Vvittenbergenfibus nunc placet à cæteris separari.

DE BAPTISMO.

CATHOLICA.

Credit catholica Ecclesia, per Baptismum, qui adultis, & paruulis necessarius est, veraciter, & plenè omnium peccatorum remissionem, ac abolitionem fieri, non per fidem solum vel tradentis, vel suscipientis, & cuiuscunque denique, quanquam in adultis ad hoc sit necessaria, sed per ipsam virtutem Sacramenti, diuinamq;

CATHOLICA.

namque promissionem. Quod verò contentiosissime hodie aduersarij Ecclesiæ contendunt, concupiscentiam, quæ post baptismum manet, verè esse peccatum, manifestissimus est error, contra scripturam & patrum sensum. Roman. cap. 6. Si mortui sumus peccato, quomodo adhuc viuemus in illo? An ignoratis fratres, quia quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, &c. Et post pauca: qui enim mortuus est, iustificatus est à peccato. Ecce quàm aperte Paulus abolitionem peccati, mortificationem eius, & hominis iustificationem per baptismum, docet. Ezech. cap. 36. Effundam super vos aquam mundam, & mudabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis dolis vestris mundabo vos. Et Paulus iterum: Saluos nos fecit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus sancti, quem effudit in nos abundè per Iesum Christum saluatorem nostrum, vt iustificati gratia ipsius, &c. Hic aperte Paulus veram iustificationem docet, & veram peccati remissionem. August. lib. secundo de peccat. merit. & rem. cap. 27. Illud namque præcipue propter quaestiones, quæ de hac re motæ sunt, vel moueri adhuc possunt, attendere, ac meminisse debemus, tantummodo peccatorum omnium plenam, perfectamque remissionem in baptismo fieri, hominis verò ipsius qualitatem non totam continuo cōmutari. Et eo ipso libro primo de nupt. & concu. vnde ipsi citant cap. 23. duobus videlicet capitibus ante illud, quod citant, ita inquit: Nam ipsa quidem concupiscentia iam non est peccatum in regeneratis, & post pauca (dicit enim ibi multa de hac sententia) sic autem vocatur peccatum (inquit) quia peccato facta est, cum iam in regeneratis non sit ipsa peccatum, sicut

CATHOLICA.

vocatur lingua, locutio, quam facit lingua, & manus vocatur scriptura, quam facit manus: itemque sic vocatur peccatum, quia peccatum, si vincit, facit: sicut vocatur frigus pigrum, non quod à pigris fiat, sed quod pigros faciat. Idem libro tertio contra duas Epist. Pelagian. cap. 3. Resert calumniam Pelagianorum in Catholicos, ita ex eorum persona inquit: Baptisma quoque non verè homines novos facere asserunt, (Catholici videlicet) id est, non plenam dare remissionem peccatorum, &c. His respondens statim in principio ait: mentiuntur, insidiantur, tergiversantur, & postquam quibusdam alijs respondit, tandem ad baptismum accedens sic ait: Baptismus igitur abluit quidem peccata omnia, prorsus omnia, factorum, dictorum, cogitatorum, siue originalia, siue addita, siue quæ ignoranter, siue quæ scienter admissa sunt: sed non aufert infirmitatem, cui regeneratus resistit. Et libro sexto contra Iulianum Pelagian. cap. quinto prope finem: Tu autem qui putas, quod si malum esset concupiscentia, careret ea qui baptizatur, multum erras, omni enim peccato caret, non omni malo, quod planius ita dicitur, omni reatu omnium malorum caret, non omnibus malis, nunquid enim caret corruptione corporis? nunquid caret ignorantie malo? Idem postea dicit de concupiscentia, quæ peior quidem est quam ignorantia, manet tamen sicut illa & corruptio. Credit etiã & tota catholica Ecclesia, externi Chrismatis usum, sicut exorcismos, & reliquas caeremonias, quas tota per orbem terrarum seruat Ecclesia, ab Apostolis, familiari Spiritus sancti, & speciali directione traditas esse, vel à plenarijs & vniuersalibus concilijs. Habet enim vera fides, Apostolos potestatem habuisse ritus Christianæ religionis iuxta fidem explicandi, & tradendi, & quædam iussu Christi;

CATHOLICA.

30

Christi tradidisse, atque ab eo accepisse, alia deinde Spiritus sancti magisterio superaddiderunt, siue ex caeremonijs veteris legis, siue ex rituum, gentium similitudine, & ratione naturali aliquid trahentes. In quibus & Ecclesia ipsi, praelatisque eius, potestas etiam est, modò Apostolorum magisterio regatur, ut videlicet quædam superaddant. Non solum itaque scripta ab Apostolis, sed tradita etiam pari fide suscipienda sunt: Ea maxime, quæ consensu totius Ecclesiæ seruata constat testimonijs Orthodoxorum patrum, quos constat semper in Ecclesiæ vnitatem permanisse. Hanc Ecclesiæ auctoritatem, & traditionem apertissime confirmat Paulus. 1. Tim. cap. 3. Ut scias quomodo oporteat te conuersari in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei viui, columna, & firmamentum veritatis. Et ad Thessal. Quotiens meminit traditionis, primæ quarto: Rogamus vos, & obsecramus in Domino, ut quemadmodum accepistis à nobis, &c. Et apertius secunda admonet, ut subtrahatis vos ab omni fratre am-

SCHOLIA.

Ex hoc loco Augustini aperte ostenditur, consistentes hos, & suos omnes, in hac assertionem, quod peccatum manet post baptismum, extremum errorem, contra Pelagianos, sequutos esse. Illi nullum peccatum etiam ante baptismum agnoscebant in paruulis, deuitantes etiam in extremo Manichæos, qui naturam malam asseriebant, & ideo non imputari peccatum, Lutherani verò etiã in baptizatis volunt esse peccatum, sed Catholica ecclesia vtrunque damnat, ut Augustin. imitemur. Illis Pelagianis necessitatem baptismi negantibus dicit: Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, &c. Istis verò Lutheranis dicit: Effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris. Sed & hoc aduertendum, quod Lutherani asserunt hoc ipsum, quod Pelagiani catholicis imponebāt, quod baptismus non faceret novos homines, nec omnino deleteret peccatum, quod ut blasphemiam maximam contra baptismum Aug. rejicit cum catholica Ecclesia, (ut ipse inquit) Quare nihil hic habent nisi contentionem quandam nominis.

bulante

CATHOLICA.

bulante inordinatè, & non secundum traditionem, quā acceperunt à nobis. Et 2. eiusdem: Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonē, siue per Epistolam nostram: Hanc ipsam potestatem frequenter exercuit Paulus, & exercuerūt Apostoli. 2. Corint. 11. Cetera (inquit) cum venero ipse disponam: & ibidem consuetudinem Ecclesiæ contentiosis obijcit, nos talem consuetudinem non habemus. Et denique Actu. cap. 15. in priori illo concilio Hierosolimitano, Apostoli, & seniores cum omni Ecclesia definientes, scribunt Antiochenis: Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quàm hæc necessaria, vt abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, & sanguine, & suffocato. Hæc nonne ex pollicita erant Moyse, & ex ceremonijs veteris legis? Merito igitur hostes Ecclesiæ iudicandi sunt, qui vsum Chrismatis in Ecclesia seruatum agnoscunt, Dionysij Areopagite, Clementis, qui ambo Apostolorum fuerunt discipuli, Augustini & Hieronymi, & reliquorum patrum testimonijs reiiciunt, & damnant, tanquā subijcientem nos elementis mundi. Claudamus igitur illorum ora, Augustini, & Leonis r. sanctissimi, & doctissimi Pontificis auctoritatibus. August. Epistol. prima ad Ianuarium, quæ est 118. Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe seruantur, dantur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas cōmendata, atque statuta, retineri sicuti quod Domini passio, & resurrectio, & ascensio in cælum, & aduentus de cælo Spiritus sancti, anniuersaria solennitate celebrantur. Deinde de istis ipsis ita ait, respondens quibusdam quæstionibus, ad hæc ita respondeo, vt quid horum sit faciendum, si diuinæ scripturæ præscribit auctoritas.

CATHOLICA.

37

Auctoritas, non sit dubitandum, quin ita facere debeamus, vt legimus, similiter etiam, si quid horum totum per orbem frequentat Ecclesia, nam hoc, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insanix est. Leo primus sermone 7. de ieiunijs septimi mēsis. Apostolica institutio, dilectissimi, quæ Dominū Iesum Christum ad hoc venisse in hunc mundum nouerat, vt legem non solueret, sed impleret, ita veteris testamēti Sacramenta distinxit, vt quædam ex eis, sicut erant condita, Euangelicæ eruditioni profutura, decerperet, & quæ dudum fuerat consuetudinis Iudaicæ, fierent obseruantia Christianæ, & tandem post multa ibidem ita inquit: Quod igitur, dilectissimi, ex veteris prædicatione doctrinæ, ad purificationem animarum, corporumque nostrorum, ieiunij septimi mensis assumimus, non legalibus nos oneribus subijcimus, sed vtilitatē cōtinentiæ, quæ Christi Euangelio seruit, amplectimur. Idem inquit sermo. 5. & 4. de eodem. Igitur non solum Chrisma, sed reliquas ceremonias, salis, saluæ, & vestium, quæ omnia constat in Ecclesia semper reuerenter seruata, amplectitur catholica Ecclesia quodlibet iuxta gradum suum, sic tamen vt apertum sit, propria auctoritate aliquid mutantem, hoc ipso ab Ecclesiæ vnitate secedere, & schismaticum esse.

DE CONFIRMATIONE.
VVIR TENBERG.

Non est nobis dubium, quin Apostoli initio reuelati, & confirmati in die Penthecostes Euangelij, contulerint impositione manuum admirandum donum Spiritus sancti, credentibus in Christum, vt varijs linguis loque-

loquerentur. Et sentimus, vtilissimum esse, vt pueri, & adolescentes à pastoribus Ecclesie suae in Cathecismo examinentur, & siquidem pie, ac recte fuerint eruditi, approbentur, si verò prauè, emendentur. Sed ex personali, & temporali facto Apostolorum, non est absque certo mandato Dei generale, & perpetuum Sacramentum in Ecclesia statuendū. Et horribile auditu est, quòd Sacramentum confirmationis, quale Episcopi suffraganei solent pueris impertiri, excellat dignitate sua Sacramentum Baptismi: sic enim nonnulli de Sacrament. confirmationis scribere non verentur. Sicut vnū, inquiunt, à maioribus fit, id est, à summis pōficibus, quod à minoribus perfici non potest: ita & maiori veneratione venerandum, & tenendum est. Apostolis enim diuinitus concessum fuit, vt impositione manuum conferrent creditibus in Christum dona Spiritus sancti. Hoc autem non est propriè intelligendum de priuatis illis Spiritus sancti donis, quæ vnicuique ad salutem necessaria sunt: Hæc enim accipiunt credentes per prædicationem Euangelij, & per baptismum, sed intelligendum est de publicis donis Spiritus sancti, videlicet loqui varijs linguis, & alia, quæ tum ad publicā confirmationem Euangelij de Christo necessaria erant. Postquam igitur auctoritas Euangelij talibus miraculis satis confirmata est, sicut desijt admirandum illud donum linguarum, ita & ritus imponendæ manus, quo donum illud conferebatur, factus est, quòd quidem ad hanc rem attinet, otiosus. Alioquin faciendum erit generale sacramentum Ecclesie ex umbra, & obumbrandi sunt ægroti, propterea quòd multi consecuti sint sanitatem per umbram Petri.

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Verum est, sed hoc nihil ad sacramentum Confirmationis pertinet, quòd paruulis etiam ratione carentibus exhibendum est, cum facul-

tas adest, non itaque in hoc sacramento agitur, vt fidem suam confirmet, quin in baptismo ipsam professus est, sed potius vt hoc sacramento confirmet Deus, sicut in psalmo scriptum est, quod in baptismo operari cepit, nempe, vt perfectum efficiat Christianum, vt habes in testimonijs Clementis, & Urbani. Nullum est in antiquitate Ecclesie testimonium, quo probetur Christianorum liberos in infantia baptizatos, ad Episcopum adductos, vt cum eis sicut cum catechumenis ageretur, vt quidam horum doctorum falsè docent, multò verò minis, quod alij etiam nouitarum amatores scripserunt, & hi videntur insinuare, audiendum est, quòd expediat baptizatis in infantia, cum adoleuerunt, fidè proponi, quasi optio illis tunc danda, aut permittenda sit, instruendi tamen sunt vt stricti iam fidei.

^b Nos hoc mandatum accepimus ab Apostolis, de quo habes euidentissima testimonia in catholica assertionem.

^c Scripsit hoc Melchisedes ante concilium Nicænum, vt habes in epistola illa citata in cath. confess. probauit verò ex excellentia proprii ministerij, baptismi enim est sacerdos, confirmationis Episcopus, probatur etiam manifestè ex effectu ipso, confertur enim in eo plenitudo gratiæ, & ad perfectum Christianæ vitæ perducitur, qui in baptismo principium accepit: Itaque ex baptismo manet baptizatus, vt paruulus, ex confirmatione fit vir. Quid hoc horribile auditu? Vltima perfectio effectus, & virtus ad quam illa pertinet: quis dubitat maiora esse his quæ circa inchoationem versantur? aut quis horret audire, Apostolos ampliori donatos gratia in aduentu Spiritus sancti in die Penthecostes, quam cum baptizari fuerunt? Quid horribile dicere, diuersos esse gradus gratiæ, & diuersis articulis, atque celebrationibus sacramentorum à Deo dispensari: & paulatim hominem ab inferioribus ad superiora, & perfectiora erigi?

^d Imò docet nos Ecclesia ipsa, dona Spiritus sancti, & gratiam ad salutem cuiuslibet necessariam, aucta fuisse impositione manuum Apostolorum, & augeri sacramento confirmationis, vt habes in testimonijs confessionis cath. ad confirmandum verò fidem istam inuisibili illius gratiæ, dona illa publica variarum linguarum miraculo dabantur, sed non illud præcipuum erat, verum quod illis confirmabatur.

^e Si ad hoc tantum manus imponerentur, verum est, nunc verò constat ad perficiendum hominem in vita, & militia Christiana factum fuisse, donum verò linguarum ad id testificandum, quod fiebat interiorius.

^f Nos nullum sacramentum facimus, hoc est, nullum ad conferendā gratiam diuinum instrumentum, nisi quod Apostoli à Christo esse nobis tradiderunt, quale hoc sacramentum esse probamus fide dignis testimonijs in opposita confess.

Simi-

VVIR TENBERG.

Similiter ^a faciendum erit generale sacramentum ex im-
positione sudariorū, propterea quod aliqui liberati sunt
a morbis suis, cum ipsis imponerentur sudaria Pauli. Et
incumbendum erit super mortuos, quod Paulus inca-
bitu suscitauit adolescentem a morte. Et tamen non est
^b pastoribus Ecclesiarum permittendum, vt nullam ha-
beant rationem erudiendę pueritię, ac iuuentutis in ve-
rę pia doctrina: sed exigendum est ab eis, vt Cathchismū
diligenter doceant.

CATHOLICA SCHOLIA.

^a Nos nullum facimus sacramentum, nisi quod Christus fecit, & A-
postoli docuerunt, verum scimus cum Dionysio Arcop. in cap. 1. Ecclef.
Hier. consulto, & necessario multa Apostolos non scripsisse, sed verbo
tantum tradidisse, tale est hoc sacramentum.

^b Hęc nihil ad sacramentum pertinent, non doctrina pastorum, sed ro-
bur spiritus, & augmentum gratię illo traditur: doctrina alium locum
habet necessarium etiam.

DE CONFIRMATIONE.

CATHOLICA.

CRedat catholica Ecclesia, quod sicut Apostoli bap-
tizati sunt, cum Christus baptismum instituit, & per
iplos alij tradidit, ita & confirmati in aduentu Spiritus
sancti, in quo nō tantum exterius illud donum lingua-
rum, & miraculorum receperunt, sed augmentum etiā
gratię ipsius, Spiritus sancti, & lucis, atque feruoris erga
Christum, & mysteria eius, & hanc ipsam confirmatio-
nem illi tradiderunt, per impositionem manuum, bap-
tizatis, vt lectio actuum Apostolorum 8. & 19. capitibus
ostendit. Et hoc Sacramentum a Christo institutum, &
ipsis collatum, sicut baptismum, ipsi docuerunt in Eccle-
sia perpetuo retinendū. Quanquam enim nec in aduen-
tu Spiritus sancti in die Penthecostes, nec deinceps in
principio Ecclesię, Chrismate vsi fuerint Apostoli, cum
eo tempore alij manifestis, & visibilibus signis, atque
mira-

CATHOLICA.

miraculis Spiritus sanctus suam pręsentiam testaretur,
docuerunt tamen Chrismate insigniendos esse ab Epi-
scopis, sub certa verborum forma, baptizatos, cuius do-
ctrinę, non scripto, sed verbo traditę, sunt certissima te-
stimonia. Clemēs Epistol. quarta, Iulio, & Iuliano scri-
pta. Omnibus ergo festinandum est sine mora renasci
Deo, & demum consignari ab Episcopo, id est, septiformem
gratiam Spiritus sancti percipere. Et post pauca:
Quia aliter perfectus esse Christianus nequaquā pote-
rit, si non necessitate, sed incuria, & voluntate remanse-
rit, vt a beato Petro accepimus, & ceteri Apostoli, prę-
cipiente Domino, docuerunt, hoc ipsum Urbanus a Pe-
tro decimus quintus in Epistola ad omnes Episcopos
scripta, testatur, opus, scilicet, esse Spiritum sanctum acci-
pere per manus impositionem Episcoporum. De Fabia-
no diximus. Eusebius epistola tertia, vniuersis Episcopis
Tullię, & Campanię scripta, manus impositionis Sacra-
mentum magna veneratione tenendum est, inquit, quod
ab alijs perfici non potest, nisi a summis sacerdotibus,
nec tempore Apostolorum legitur, aut scitur ab alijs,
q̃ ab ipsis Apostolis peractum esse, Melchides proximus
Syluestro, & concilio Nicęno, Epistol. ad omnes Hispa-
nię Episcopos, multa de hoc Sacramento loquitur, &
inter cetera, duo hęc Sacramenta, inquit, Baptismi, &
confirmationis, separanda non sunt. Dicit alia, quę no-
stri isti doctores spiritu suo turgidi irrident. Respondi-
mus illis in scholijs. Sed quis nō videat quinque horum
Pontificum, & Martyrum, qui omnes ante concilium
Nicęnum fuerunt, quo tempore, nihil de quo Ecclesiā
Romanam crimentur, habent, testimonia merito ab
omnibus esse suscipienda? Sed ne quid desit ex illis tem-
poribus, Dionysius cap. quarto Ecclesiast. Hierarch. &

CATHOLICA.

de ipsa cōfectione vnguenti loquitur, & vsu eius ad omnem fermē sacerdotalis officij functionem, & cap. secundo, de baptismo: Baptizatum (inquit) sacerdotes induunt, veste congrua munditiæ, & ad pontificem ducunt, ille verò diuino, atque Deifico prorsus vnguento virum signans, sacratissimæ communionis participem facit. Denique Eusebius libro sexto Ecclesiastici. histor. cap. tricesimo tertio: Ex Cornelio Papa, & Martyre Cypriano contemporaneo refert, quod de Nouato hæretico scripserit, quod Spiritum sanctum promereri non potuit, quia baptizatus, in graui aegritudine signaculo Chrismatis signatus non est, Et prius inquit: Quod reliqua, quæ baptismum sequi solent, in eo solenniter adimpleta non sunt. Videant igitur quid agant noui Vvirtenbergeneses doctores, hæc tam aperte negantes, & reijcipientes, & caueant ne sibi, & suis subtrahāt hoc tam necessarium Sacramentum, multò certè & maiori incommodo, quàm Nouatus, qui tantum non suscepit, non verò negauit. Ambrosius, & Augustinus. Hæc eadem sequens Ecclesia semper tenuit, de quo nunc Ambrosij, & Augustini auctoritates sufficiant, qui de hac re tanquam certa in Ecclesia manifestè loquuntur. Ambrosius quidem libro de his, qui iniantur, cap. septimo: loquēs baptizato de his, quæ post baptismum fiunt, Repete, inquit, quia accepisti signaculum spirituale, spiritum sapientiæ, & intellectus, &c. Serua quod accepisti, signauit te Deus pater, confirmauit te Christus dominus. Et libro secundo de Sacramentis cap. septimo, eiusdem apertam facit mentionem. Merxisti, inquit, venisti ad sacerdotem, quid tibi dixit? Deus pater omnipotens, qui te regerit ex aqua, & Spiritu sancto, concessitque tibi peccata tua, ipse te vngat in vitam æternam. August. verò

CATHOLICA.

34

ro lib. 2. contra literas Petiliani Donatistæ, cap. 104. De verbo illo Psal. Sicut vnguentū in capite, loquens, quod hæreticus citauerat, ita inquit, in hoc vnguento Sacramentum Chrismatis vult interpretari, quod quidem in genere visibilium signaculorum sacrosanctum est, sicut baptismus.

SCHOLIA.

a Vide quod de duplici vnctione loquitur, altera, quæ præcedit baptismum, altera, quæ sequitur, quæ manifesta est in confirmatione: de priori verò diximus superius de Baptismo.
b In his locis Ambrosius duplicis vnctionis mentionem facit, sicut diximus de Dionysio.

DE POENITENTIA.

VVIRTENBERG.

Cum semper nobis agnoscenda sint peccata, & credendum quod remittatur nobis peccata propter Christum, sentimus semper etiam in hac vita nobis agendā

SCHOLIA CATHOLICA.

a Nobis, inquam, ex corde, & veraciter pœnitentibus, non aliter, iuxta illud: Nisi pœnitentiam egeritis, &c.
b De quotidianis, leuibusque peccatis, sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit, vt Augu. inquit in Enchiridio ad Laurentium, cap. 71. sed nefanda illa crimina, inquit ille, non putandum est quotidie committenda esse, & quotidie redimenda, & c. 70. Quare necesse est pœnitentiæ, quæ pro grauioribus sit maximè, quæque sacramentum est, studium, & tempus à studio & tempore aliorum piorum operum, discernere. Paul. ad Heb. cap. 6. Ad perfectionem, inquit, feramur, non rursus iacentes fundamentū pœnitentiæ, ab operibus mortuis. Itaque omnem pœnitentiam confundere, eam, scilicet, quæ sit pro leuioribus & grauioribus, & ipsam toti vitæ tribuere, est veraciter, maximè doctrinam necessariam de ratione scilicet remissionis grauium lethalium peccatorum post baptismum, obscurare, & dum omnia etiam leuiora peccata pensantur quasi parum à grauioribus distantia, docere, vt dum semper dicitur agendam pœnitentiam, nunquam perfectæ, quæ maximè necessaria est, agatur, ad hanc enim, vt August. eo loco inquit, vitæ mutatio necessaria est.

F 2 esse

VVIRTENBERG.

esse pœnitentiam. Sed pœnitentiam alij aliter explicat, b Vulgo enumeratur tres partes pœnitentiæ, Contritio, Confessio, Satisfactio, has partes singulatim, & breuiter percurramus, vt exponamus quid nobis in hac doctrina de pœnitentia verè catholicâ & Apostolicâ videatur.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Explicent alij vt volunt, sacra, & Ecclesiastica doctrina id certo continet, quod breuiter, & apertè satis in catholica confessione habes, de pœnitentia in genere.

b Ille tres partes à grauibz doctoribus ponuntur, & si à posterioribus certa tamen auctoritate scripturæ, & antiquiorum, vt habes in catholica doctrina circa singulas.

DE POENITENTIA. CATHOLICA.

Credit catholica Ecclesia, quod pœnitentia, quam ratio naturalis docet, & lex Moyli prædicat, in Evangelio, sub certa ratione, & externis signis peccantibus lethali-ter, post baptismum iubeatur, cum subiectione, scilicet, clauibus Ecclesiæ, & sententiæ remittenti, vel retinenti earum auctoritate pronuntiata, promittitur etiam illi peccatorum remissio, quare verè, & propriè Sacramentum est, sicut baptismus, & confirmatio. Merito itaque graues Ecclesiastici doctores, tres partes, ex quibus integratur, & constat, assignarunt, contritionem, scilicet, confessionem, & satisfactionem, quod à posterioribus quidem doctoribus explicatiùs traditum est. Sed antiquorum quoque, & scripturæ auctoritatibus confirmatur, de quibus singulatim dicendum est.

DE CONTRITIONE. VVIRTENBERG.

Contritionem vocamus, sensum Diuinæ iræ, seu dolorem, aut pauorem animi ex agnitione magnitudinis

SCHOLIA CATHOLICA.

a Adde, & vera Dei dilectione, ipsum super omnia bonæstimante, sine hac verò, de qua dictum est Luca cap. i. dimissa sunt ei peccata multa, quia dilexit multum, contritio non vera est.

pec

VVIRTENBERG.

35

peccatorum, & grauitatis iræ Dei ortum. Talem contritionem arbitramur quidem necessariam esse in vera pœnitentia, quam contritionem lex Dei in homine excitare solet: sed docere eam mereri remissionem peccatorum, & esse expiationem peccatorum coram Deo, existimamus ab Apostolica doctrina alienum esse: Deus enim non despicit quidem cor contritum, & humiliatum, sicut Psalm. loquitur, sed idcirco non despicit, quia filius

SCHOLIA CATHOLICA.

a Imò re vera, sola gratia concedere, iuxta illud Pauli. i. Timothi. i. ne quando Deus det illis pœnitentiam, &c. Sed hic ostendunt isti doctores, se nō intelligere neque que loquuntur, neque de quibus affirmat. Primò non intelligunt catholicam doctrinam de contritione, quam nos intelligimus, veram illam conuersionem cordis à peccato, quam petit sibi dari à Deo, qui dicit, conuerte me domine, & conuertar, & tam frequenter in Psalmis conuerte nos Deus salutaris noster. Ipsi verò contritionem, vel certè dolorem huic coniunctum humanum quoddam opus virium, scilicet, humanarum putantes, primùm indignè sentiunt de illa, que tam prædicata est & tam necessaria: deinde magni assertores gratiæ, non docent gratiam querere, tunc cum maximè necessaria est, peccatori, scilicet, cupienti remissionem obtinere peccati.

b Remissionem peccatorum ipsorum, videlicet de quibus est & que remittuntur à Deo, per illam non dicimus ipsam mereri, cum & peccatum gratis dimittatur, & ante remissum peccatum illa non sit, sed est effectus gratiæ ipsius remittentis peccatum, vt in catholica doctrina habes. Est tamen preparatio necessaria ad remissionem peccati, que per gratiam fit in nobis, quidquid verò ante remissum peccatum in nobis est doloris, & pœnitentiæ, illud præuia quædam dispositio est, & remota, qua paulatim gratia hominem ducit ad Deum. Quod verò nonnulli asserant meritum quoddam deficiens quidem, & secundum quandam duntaxat congruitatem, qua diuinæ bonitati congruit quod exipit in nobis perficere, & homini conanti ad sedire manum præbere, non rejiciamus: quamquam non minus placet, bene consideranti rem, & doctrinam patrum, ante remissum peccatum, nullum esse aliud meritum, quàm damnationis propter permanentem adhuc in eo affectum peccati.

F 3

Dei

VIR TENBERG.

Dei Dominus noster Iesus Christus, suscepit cor contritum, & humiliatum, cuius solius contritione, & humilatione peccata nostra coram Deo expiata sunt, & placata est ira Dei. Huius placationis nos participes effici-mur, cum contrito, & humiliato corde credimus, solum Iesum Christum esse propitiatorem nostrum apud Patrem cælestem. Esaia 35. Ipse vulneratus est propter iniquitates nostras, attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum: & liuore eius sanati sumus. 1. Io. 2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Act. cap. 10. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius, & omnes qui credunt in eum. Et testantur exempla Cain, Esau, Saulis, Iudæ Iscariotis, & aliorum, quod contritio non sit meritum remissionis peccatorum, hi enim & si tantam habuerunt contritionem, vt tolerabilius ipsis visum fuerit, vitam sibi aut laqueis, aut gladijs ab-rumpere, quàm horribiles illos dolores perferre, tamen non sunt remissionem peccatorum consecuti. Glos. de penitent. dist. 1. cap. 1. Si subtiliter intueamur, gratiæ

SCHOLIA CATHOLICA.

- a Verbum tamen illud Psalmi, nulla ratio, nec auctoritas habet, vt de solo Christo intelligatur, cuiuscunque cor contritum, & humiliatum Deus non despiciat, etiam Achab illius de quo dicitur, quod venundatus est vt faceret malum, vt habes 3. Regum cap. 20. Nonne vidisti hu-miliatum Achab coram me, sed non omnia eodem modo, & equaliter respicit, aliorum enim ad vitam eternam, & hoc quidem propter Christi meritum, cui nihil detrahimus, aliorum, ad commodum aliqua tempo-ralia, vbi etiam meritis Christi tribui volumus quidquid boni in illis est, vel propter hoc à Deo illis datur.
- b Memor esto exclusionem illam non negare, quod ex ea Christi con- tritione in nobis est, & hæc est nostra contritio, vt probatum est.
- c Vtunque dixeritis, quantum uis conemini occultare, tamen non si- dem solum, sed contritionem facemini necessariam, vt efficiamur parti- cipes placationis Christi, cur enim non licebit mihi dicere, nos partici-

SCHOLIA CATHOLICA.

pes effici placationis Christi, cum corde fidei conterimur, & humilia- mur coram Deo propter peccatum?

d Primò caue verbum solum, Non excluduntur nostra, vt à Christo sunt, nostra contritio propitium nobis reddit Deum, imò, & aliorum oratio, sicut de Moysè dicitur, quod placatus est Dominus oratione eius. Exodi 38. & de Iob cap. 48. Iob autem seruus meus orabit pro vo- bis, faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur stultitia, sed hæc omnia propter Christum, & ex Christo. Nihil ei detrahimus, sed pos- tius glorificamus, maximè ex hoc. Deinde & hoc aduerte, non solum hoc credendum esse, vt iustificemur, quod hic dicitur, sed totaminte- grè catholicam fidem, non solum Christum esse propitiatorem apud Pa- trem tantum, sed etiam cætera omnia, clauis datas Ecclesiæ, illam esse vnam, & sub vno Christi vicario successore Petri, & omnia dogmata, vt videas quàm longè isti absint à iustificatione, & doleas eorum vicè, qui se illustratores fidei, & doctrinæ iustificationis putant. Itaque meri- to diximus, primò cor fidele requiri tanquam fundamentum, deinde contritionem, hæc actu esse debet, fides verò tanquam fundamentum virtute.

e Verum est, sanati sumus in vera fide, & catholica Ecclesia penite- tes, quod etiam ex meritis eius fatemur nos habere: nam idem Esaia penitentia docet, vt oratio Ezechie ostendit: Sicut pullus, sic clamabo. f Sed idem inquit: si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt dimittat, sed ex propitiatione Christi fatemur esse.

g Hoc Petrus dixit in domo Cornelij, idem ipse tamen, Acto. 1. quæ- rentibus quid facerent, ad salutem dixit penitentiam agite, vtunque igitur necessarium, & suscepta fide hæc penitentia maximè prædicanda.

h Hic ostendunt quàm præposterè de contritione loquantur, cõtritio illa fuit, sed qualis in damnatis, non certè quæ voluntatem, qua peccas- tum est, frangeret, & comminueret coram Deo, Nullus catholicus sen- sus vnquam horum veram contritionem putauit, vel in contritionem esse meritum remissionis peccati dixit, vt superiori annotatione dixi- mus, sed quod nunc etiam dicendum est, perfecta illa contritio, qualis descripta est, ex gratia procedens, meritum est vitæ æternæ, & quoties remisso peccato in eundem prorumpimus contritionis actum, ex chari- tate & gratiam & vitam æternam meremur, & integriorem etiam re- missionem peccati: nam siue à pœna, siue quacunque aliaratione. Veris- simè clamat Psalmista: Amplius laua me à peccato, & iam lotus erat. sed ait, magis, magisq; laua me, hoc operatur iterata contritio ex gratia.

i Optimè, nam ipsa contritio gratiæ Dei est effectus, meritò igitur tribuetur causa remissionis peccati, non effectus, nisi vt ab illa est, & cam- iase habet.

Dei, non contritioni, attribuenda est peccatorum remissio. Quare fatemur, contritionem ad agendam veram penitentiam necessariam quidem esse, non autem in hunc usum, ut sit meritum, seu expiatio peccatorum coram Deo, sed ut homo agnita magnitudine peccatorum, & gravitate iræ Dei, detestetur peccata, & excitetur ad querendam remissionem peccatorum, ac salutem à sola gratuita clementia, & misericordia Dei, propter solum Iesum Christum Dominum nostrum per fidem.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Si hanc doctrinam inspicias, certè videbis miras tenebras, in his qui elucidatores dicuntur doctrinæ huius, fatentur contritionem ad agendam penitentiam necessariam esse: verissimum est ut integrè agatur penitentia, vñ Christo præcipitur in noua lege, ut fructus illi, quos petit, producantur à contritione incipiendum est. Est itaque contritio necessaria ad integritatem totius penitentiae, & ita ad remissionem peccati, sed addunt non in hunc usum, ut sit meritum, seu expiatio, verum est ut diximus, sed ut homo (inquiunt) agnita magnitudine peccatorum, &c. detestetur peccata. Quid aliud contritio, quàm detestatio peccati? Contritio itaque necessaria est in hunc usum, ut conteramur de peccato, hoc est, contritio ad seipsam necessaria est: quod si contritionem quandam solam dicunt animi anxietatem, non intelligunt contritionem de qua doctrina Ecclesiæ in hoc loco loquitur, quæ non est aliud, quàm quod diximus. Cùm verò contra hanc doctrinam loquantur, opuserat, ut eam intelligerent. Deinde si mordicus hoc tenes, ut velint, ut aliud contritio sit, quàm detestatio peccati, qualis ostensa est in doctrina catholica certè illa quidquid sit, non est necessaria ad remissionem peccati, vel ad veram penitentiam, cùm certum sit eam non esse fidem, vel charitatem, vide itaque an meritò dixerimus, hic esse tenebras, & caue.

b Omnes illas exclusiones intellige, ut dictum est, non excluduntur dispositiones nostræ, & preparationes eiusdem gratiæ effectus, alioquin exclusio appositæ verbo gratiæ excluderet meritum Christi, & eadem addita merito Christi excluderet gratiā: sed neutrum re vera est, gratia Dei est meritum Christi, ita etiam, & eiusdem gratiæ, & meriti Christi sunt dispositiones nostræ.

DE CONTRITIONE CATHOLICA.

Contritionem vocat catholica Ecclesiā, perfectū animi dolorem de peccato, voluntati illi, qua peccare libuit oppositum, frangentemque duritiam illam cordis, qua peccantes diuinis præceptis, & bonitati resistimus. Dolor quidem peccati imperfectus est, ex quâtaunque, aut quâlicunque fide procedens, & quâtaunque lacrymas, & sensum doloris habeat, quousque ex Dei charitate, quæ veram fidem prærequirit, sine qua impossibile est placere Deo, charitate, inquam, dilectioneque illius super omnia bona, & amabilia procedat, atque ita peccata, tanquam Deo opposita, super omnia, quæ odio habet, detestetur, id quæ verè in diuinis oculis. Hæc contritio, semper, & ante legem, & sub lege, & reuelatæ gratiæ tempore, ad remissionem peccati lethalis necessaria est in adultis, quam iuxta catholicam fidem, solus Deus gratuita sua bonitate, amorem suum diffundens in cordibus nostris, atque ita nobiscum agens, operatur in nobis, meritò, & virtute passionis, & sanguinis Christi, quæ cùm talis, & tam perfecta fuerit, non tamen iuxta fidem, creditur remissionem peccatorum mereri, sed esse propriam dispositionem ad illam, sine qua nunquam, & per quam semper peccatum mortale remittitur. Itaque & remissio peccati, & penitentia diuinæ gratiæ effectus sunt, non causæ, non aliter quàm in generatione naturali, forma geniti, & vltima dispositio ad illam effectus sunt generantis. Ezech. cap. 18. "Convertimini, & agite penitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris, & non erit vobis in ruinam iniquitas, proijcite à vobis omnes"

SCHOLIA.

a Hic locus si rectè pensetur, & dolorem, & mutationem cordis oppositam peccato, & charitatem Dei, docet.

CATHOLICA.

iniquitates vestras, in quibus præuicari estis, & facite vobis cor nouum, & spiritum nouum. Quare moriemini domus Israël, quia nolo mortem morietis dicit Dominus, reuertimini, & uiuite. Sunt innumere alię Prophetarum auctoritates de hoc. Cap. tertium Hier. sub typo adulterę loquens peccatori quā plenē hac tradit: Tu fornicata es cum amatoribus multis, tamen reuere ad me dicit Dominus. Leua in directum oculos tuos, & vide ubi nunc prostrata sis, &c. Caput tricesimum primum eiusdem, & gratia Dei, & ipsius doloris insignia habet testimonia: Conuerte me Domine, & conuertar, postquam conuertisti me, egi poenitentiam, & cetera multa. Caput decimum sextum Ezechielis: Notas fac Hierusalem abominationes suas, &c. totam continet doctrinam poenitentia. Oratio Danielis, cap. nono hoc ipsum continet: Peccauimus, inquit, iniquitatem fecimus, &c. Denique tota doctrina Prophetarum magna ex parte hoc docet. Matth. 3. & 4. Marci primo. Poenitentiam agite dicit Ioannes, & Christus, & inde incipiunt prædicationem suam. Et Luca cap. 13. Nisi poenitentiam habueritis, omnes simul peribitis. Eiusdem cap. 18. Publicanus orans: Deus propitius esto mihi peccatori, iustificatur. Et cap. septimo, mulier peccatrix fundens lacrymas ad pedes Christi, audit: Remittuntur tibi peccata. Denique & magna pars Euangelicę doctrinę apertē hoc docet. 2. Corint. 7. Quę secundum Deum tristitia est, poenitentiam in salutem stabilem operatur, unde & ait: non me poenitet quod vos contristauerim in Epistola, contristati enim estis ad poenitentiam. Petrus in prima concione statim poenitentiam prædicat, & tota Apostolorum doctrina plena est hac prædicatione. Hoc ipsum exemplis scripturę fit manifestum in David veraciter poenitente,

CATHOLICA.

38

nitente, in Manasse, & similibus ostenditur utilitas poenitentia, sicut e contrario, in Cain, Saule, Iuda, & similibus infructuosa, & falsa poenitentia ostenditur non prodesse. August. Tract. 72. super Ioannem. Qui credit in me, opera, quę ego facio, ipse faciet, prius ego facio, deinde ipse faciet, quia facio ut faciat, quę opera nisi ut ex impio fiat iustus, & maiora horum faciat: quorum obsecro? nunquid omnium operum Christi maiora facit, qui cum timore, & tremore suam ipsius salutem operatur? quod utique in illo, sed non sine illo, Christus operatur. Itaque vera catholica Ecclesia, contritionem non meritum remissionis peccati, sed dispositionem necessariam credit, atque ut per eam iustitiam veram consequamur, & participes efficiamur meritorum Christi, docet exercendam esse, quę tamen cum effectus sit gratia & meriti Christi, & fidei illius, quę per dilectionem operatur, non ab illis separanda est, nec per eam gratia quidquam detrahatur, aut Christi meritis.

DE CONFESIONE. VVIR TENBERG.

Confessionem vocant enumerationem peccatorum coram sacerdote. Talis igitur confessio, qualis hactenus fuit usitata, sicut non est diuinitus præcepta, ita manifestum est quod vetus Ecclesia non exegerit eam tanta seueritate, perinde ac si ad consequendam æternam salutem necessaria esset. Ac dubium quidem non est, quin debeamus nos coram Deo peccatores agnoscere, & Deo peccata nostra confiteri: sed ea coram homine (nisi si quid in ipsum peccauerimus, & veritas legitima, ac di-

CATHOLICA SCHOLIA.

Optimè inquit, ita est manifestum, quod verus Ecclesia non exegerit eam, sicut quod non est diuinitus præcepta, utrumque enim in catholica assertionem ex scriptura, & patribus falsum ostenditur.

uina

uina vocatione dicenda fuerit, enumerare liberum non esse, concedunt etiam veterum Ecclesiasticorum scripta. Chrysost. in cap. 12. ad Hebræ. Homil. 31. Non dico tibi, vt te prodas in publicum, neque vt te apud alios accuses, sed obedire te volo Prophetæ dicenti: reuela Domino viam tuam. Et iterum in Psal. Miserere. Si confundaris alicui dicere, quia peccasti, dicito ea quotidie in anima tua, non dico vt confitearis confertio tuo, vt exprobet, dicito Deo, qui ea curat. Est autem hæc Chrysostomi verba solent exponi de peccatis, quæ ante sacerdoti confessa sunt, tamen hæc expositio est manifesta deprauatio sententiæ Chrysostomi. Et testatur Ecclesiastica historia perspicue, morem confitendi sacerdotibus abrogatum fuisse in Ecclesia Constantinopolitana. August. in lib. 10. confes. cap. 3. Quid mihi est cum hominibus vt audiant confessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes languores meos. Curiosum genus adco-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Non Origenis, non Hieronymi, non August. veterum ergo Ecclesiasticorum quorundam minus aperta esse, & rara testimonia, non quidem liberum esse concedentia, sed obscuriora de ea re forte, ob infirmitatem audientium loquentia, dici potest, si veraciter, & modeste loquendo sit.
b Publicam igitur, quæ tunc apud multos in vsu erat peccatorum confessionem occultorum, vt testimonio Origenis in assertionem catholicam probatum est, Chrys. dicit se non exigere, hoc enim significant verba: publicum te prodas, & apud alios accuses, plures enim significat dictio non vnum tantum, in assertionem vero catholicam, habes Basilij, Chrysost. studiorum, & vitæ solij, apertum testimonium, de confessione quæ tunc in vsu erat, imò ipsius Chrysostomi.
c Hic locus non aperte re vera docet confitendum homini, nec tamen negat. Lenit quidem difficultatem confitendi, dicens primo, non ei confitendum, qui exprobet, hoc est, a quo hoc timere possit, dicat igitur Chrysost. si meritò times exprobandum tibi a confertio peccato, quæ confitere Domino, qui ea curat. Et rursum cum dicitur Deo, intelligi

telligi potest, in arcano illo iudicio, in quo reuera Deo dicitur, quia loquens cum Dei tenenti homini illud confitetur. Hoc constat Chrysostomo agnoscanti infirmitatem suorum, difficile fuisse visum persuadere peccatoribus submittere se sacerdotibus, & ideo artificiose putat esse agendum, vt illi sibi ipsi hoc persuadeant, non a sacerdotibus imperiose audiant, ita ipse dicit in 1. lib. de sacer. Multa, inquit, arte opus est, vt qui laborant Christiani vltro sibi ipsi persuadeant, sacerdotum se curationibus submittere oportere. Vides quia oportere hoc dicit tamen artificiose agendum, vt hoc sibi persuadeant. Ita igitur putauerim ego Chrysost. hic artificiose locutum, non aperte asseruisse coram his, quos videbat forte magis offendi, quam inde ædificari posse, nec tamen negat, quod alibi dicit oportere.
d Possunt quidem expositionem, si non hanc, saltem illam quam adduximus, aut aliam habere, sed nullam mordicus tenemus. Chrysost. vnum verbum aut minus aperte, aut condescendendo infirmitati audientium, dispensatiue forte dictum, & suis, & aliorum testimonijs, quæ in catholica doctrina habes, meritò non debet præiudicare.
e Testatur tamen idem eodem loco, morem confitendi seruatum antiquitus fuisse in Constantinopolitana Ecclesia, & in occidentalibus maximeque Romana vsque ad ea tempora seruari, imò ibi inquit, necessarium esse, qui confiteri, aut, refugit, maius peccatorum onus acquirat, antiquam ergo hanc consuetudinem, nos meritò præferimus vnius Nestarij auctoritati, qui forte scandalo populi coactus permisit magis abrogari consuetudinem, dabit ipse Deo rationem operis sui, nec enim tantum est, vt illius opus in exemplum sit trahendum, nec etiam eum reprehendimus, certè ipsa historia Ecclesiastica non probat, sed arbitratum minora antea peccata fuisse commissa, pro pudore confessionis, & subtilitate examinantium. Aduerte tamen in hoc loco, hoc factum fuisse a Nestario, qui proximè præcessit Chrysostomum. Ex quo colligitur, Chrysostomum auersum inuenisse populum a confessione, & vnumquemque a Nestario relictum suæ conscientie iudicio, non mirum igitur, si ipse mitius fuerit de hac re locutus, prudenter cogitans paulatim agendum esse, quæ ex his, quæ citauimus, satis patent.
f Hoc aperte est velle decipere eos, qui hæc non legerunt, nihil apertius quam August. ibi non loqui de confessione hac, quæ sacerdotibus fit, sed de suis illis confessionibus, quas ad se excitandum, in laudem Dei & ædificandos proximos conscripsit, & in publicum edidit, vitam etiam suam ante baptismum, & leuiora quæque peccata manifestans. Cur ergo isti doctores, ex vno verbo confessionis, ita volunt simplices decipere, vt non videant ab his, qui tantillum legerunt meritò posse mendacij argui.

gnoscent.

quoscendam alienam vitam, desidiosum ad corrigendū suam. Ambros. super Lucā de pœnit. distinct. 1. cap. Pet. Petrus doluit, & fleuit, quia, vt homo, errauit. Non inuenio ^a quid dixerit, scio quod fleuit, lacrymas eius lego, satisfactionem non lego. Etsi autem sentimus, enumerationem peccatorum coram sacerdote non esse necessariam ad salutem, nec esse aliquod meritum remissionis peccatorum, tamen damus operam, vt generalis confessio peccatorum, quantum fieri potest & licet, in Ecclesijs nostris conseruetur, idque duabus de causis. Vna est, vt hoc priuato colloquio rudiores de rebus necessarijs admoneantur, & erudiantur. Altera, vt hac occasione priuatim audiat Euangelion Christi de remissione peccatorum, quod Euangelion est ^b vera clavis regni cælorum, & absolutio à peccatis, & vt per auditum Euangelij, seu absolutionis, fides vel concipiatur, vel confirmetur. In agenda enim vera pœnitentia, nihil certiùs, nihil firmiùs iudicamus, quàm quod omnino ^c necessaria sit fides, videlicet vt quod Euangelion Christi annuntiat credamus, ^d nobis certò remitti, & condonari peccata ^e gratis propter ^f solum Iesum Christum dominum nostrum. Non ignoramus quidem, quod si opera nostra respicimus, non tantum nobis dubitandum, verum etiam de salute nostra desperandum sit, quippe quod nostra opera quantumuis bona videantur, non possint ^h coram seuerò tribunali Dei consistere. Nec obsecurum nobis est, quod carni nostræ in hac corporali vi-

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Si hoc verbum ad confessionem sacerdoti faciendam referamus, nihil habet dubij: Primò, tunc non erat instituta confessio, nec dictum, quorum remiseritis peccata, nec si esset instituta apud Christum fuisset necessaria: ille sine sacramentis contulit sacramentorum gratiam, sed re-
vera

vera hoc verbum dixit, non est cur ad confessionem referatur, magis videtur ad verba aliqua orationis, quæ potuisset Petrus pro remissione peccati dicere. Vt igitur Ambr. lacrymarum, & pudoris efficaciam commendaret, scio, inquit, quod fleuerit, sed non inuenio quid dixerit, vnde in sequentibus: lacrymas eius, inquit, lego, satisfactionem non lego, ostendens supplere efficaciam doloris satisfactionis defectum.

^b Vera clavis est, quæ aperit, & claudit, absoluit, & retinet, dicente Christo: quorum remiseritis, & quorum retinueritis, & quidquid ligaueritis, vel solueritis, non ergo Euangelium, siue eius prædicatio, sed potestas quæ apertè ibi data est à Christo, clavis dicitur, quæ exercere non potest actum sine iudicio, & cognitione eorum, quæ retinenda, vel remittenda sunt.

^c Faciemur & nos hoc, sed non sola sufficit, etsi enim habuero, inquit Paulus, omnem fidem, charitatem non habuero, nihil sum, fides ergo, quæ per dilectionem operatur, est necessaria.

^d Euangelium annuntiat remitti peccata pœnitentibus, ipsum annuntiat multos non verè pœnitere: & scriptura omnibus dubitandum esse dicit, vt habes in catholica assertionè.

^e Non tamen sine operibus nostris. Nam nisi pœnitentiam egeritis, &c. sed quia hæc ex gratia in nobis est, dicente Hieron. Postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam, cap. 31. meritò gratis dicitur remitti peccatum.

^f Non excludit quod ab ipso in nobis est, propter solum Christum promerentem, & efficientem, sed propter contritionem nostram, quæ disponimur ab ipso Christo, remittuntur peccata, sic enim dictum est: idis missa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum.

^g Vt à nobis sunt, & sine diuina gratia, verum est, vt verò à Deo sunt, spei nostræ sunt testimonia, Paulo dicente, 1. Corinth. 1. Gloria nostra est testimonium conscientiæ nostræ, quod in simplicitate, &c. conuersati sumus in hoc mundo.

^h Paulus inquit 1. ad Corinth. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis, pro vt gessit siue bonum, siue malum. Et rursum idem ad Roman. 2. In die ire, & reuelationis iusti iudicij Dei, dicit vnusquisque reddendum secundum opera eius, quomodo ergo non possunt opera nostra coram Dei tribunali stare? Denique ipse Christus Luc. 2. vigilate, ait, omni tempore, orantes, vt digni habeamini stare ante Filium hominis. Quid ergo hac specie pietatis ita amice imponitis simplicioribus. Digni efficiamur stare ante Filium hominis, & opera nostra digna sunt, sed eius gratia, non nostris viribus.

VVIR TENBERG.

ta semper adhaereat^a dubitatio de misericordia & clementia Dei. Sed cum Deus promittit nobis gratuitam suam clementiam, propter Christum filium suum, & exigit, vt Euangelio filij sui obedienter credamus, exigit etiam eo ipso, vt^b dubitationem carnis nostrae mortificemus, ac certissimam de misericordia sua^c fiduciam concipiamus, ne nos promissionem eius tanti mendacij accusemus, quantam^d dubitationem de ea habeamus. Et vt possimus certam fiduciam concipere, collocavit salutem nostram non in meritis nostrae iustitiae, quae^e est imperfecta, sed tantum in meritis Filij sui Domini nostri Iesu Christi, cuius iustitia vt est perfectissima, ita & in iudicio Dei firmissima, & constantissima. Marci 1. ^a Pœnitentiam agite, & credite Euangelio, Iubet nos Euangelio, quod annuntiat nobis certum^b fauorem Dei erga nos propter Christum, credere. Ergo non vult vt de fauore eius erga nos dubitemus, sed vt certam de eo fiduciam concipiamus. Ioan. 5. Hoc est opus Dei, vt^c credatis in eum, quem misit ille. Si Deus^k exigit, vt credamus in Filium suum, certè non vult, vt dubitemus sed vt firmam fiduciam in eo collocemus. Iacob. 1. Si cui vestrum deest sapientia, postulet ab eo, qui dat, nempe Deo, qui dat, inquam omnibus simpliciter, nec exprobrat, ac dabitur ei, sed postulet eumⁱ fiducia, nihil hæsitans. Hilarius in Matth. cap. 5. Regnum celorum quod Prophetæ nuntiauerunt, Ioannes prædicauit, Dominus noster in se esse positum est professus, vult sine aliqua incertæ

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Quod in nobis semper sit dubitatio diuinæ bonitatis, & clementiæ, motus, scilicet aliquis infidelitatis, voluntariè dicitur, nullibi probatur

SCHOLIA CATHOLICA.

41

tur ex scriptura: sed insurgere in nobis aliquando huiusmodi motus verum est, cauendum tamen hic, quod dubitationem nō qua dubitemus, an Deus clemens sit, & misericors (hæc enim peccatum est & ex cecitate carnalis nostri hominis) sed qua dubitamus an nobis illa contingat, isti dubitationē carnis vocant, & peccatum, cum re vera sit timor Domini sanctus, quia scriptum est, nemo scit vtrum odio, vel amore dignus sit, & quos vult indurat.

^b Verum est, carnis non verò humilitatis, & timoris dubitationem docet nos mortificare fides, vt ex proximè dictis patet.

^c Sed cum timore, vt Paul. iubet nostram salutem operari, inquit, hic enim timor non repugnat misericordiae diuinæ.

^d Promissiones Diuinæ, quæ de remissione peccatorum est & cōditionalis si impius egerit pœnitentiam, non recordabor peccatorum eius, nulla est nobis dubitatio, cum de veritate nostræ pœnitentiæ dubitamus, gratia verò pœnitendi nulli in speciali promissa est, nec omnibus, sed misericordiam, inquit, præstabo cui voluerit, vt ad Roman. 9. scriptum est.

^e Ex nobis verum est, sed ex Diuina gratia verum est illud Eccles. 9. Sunt iusti, atque sapientes, & perfecti, etiam dicente Paulo: quicumque perfecti sumus perfectione videlicet huius vitæ, nondum tamen patrie, de qua ibidem non me arbitror comprehendisse, &c.

^f Si milles particulam exclusivam apposueritis, milles addam non excludit, quod ab illis in nobis est, non ergo pœnitentiam, nec alia opera gratiæ.

^g Non ergo sola fides exigitur, sed præcipitur etiam pœnitentia, ostendite ergo vbi hæc omnibus promittatur.

^h Erga nos pœnitentes, & credentes verum est, sed fauorem ad rectè pœnitendum de peccatis non annuntiat certò, sed sub dubio expectandum, & desiderandum, atque orationibus pro omnibus petendum, nequando, inquit Paul. 1. ad Timoth. 2. Deus det illis pœnitentiā, &c. De fauore ergo eius ad nos, donoque pœnitentiæ non vult nos non dubitare, sed fiduciam admistam timori habere, & pro illa semper augenda orare.

ⁱ Fide, proculdubio, quæ per dilectionem operatur, sine qua Paul. testes cætera nihil valent.

^k Certè non vult, vt dubitemus de his, quæ credenda proponuntur, non dubitamus, sed de dono pœnitentiæ: fiduciam verò firmam, sed non sine timore collocamus in eum.

^l Nihil, inquam hæsitans de Diuina omnipotentia, & misericordia, quod Christus exiebat a cæcis, quos illuminare voluit: creditis quia hoc possum facere vobis? nō verò, inquit, quia hoc facturus sim vobis.

G

volun-

voluntatis ambiguitate sperari. Alioqui iustificatio ex fide nulla est, si ipsa fides fiat ambigua. August. in Manuali cap. 23. Qui de venia peccatorum suorum desperat, negat Deum esse misericordem, magnam iniuriam Deo facit, qui de eius misericordia diffidit, quantum in se est, negat Deum habere charitatem, veritatem, & potestatem, in quibus tota spes mea consistit. Sixtus Pontifex Tomo 1. Concilio. in 1. Epist. Sixti Pontificis. Dubius in fide, infidelis est. Quare existimamus eos, qui iubent nos de fauore Dei erga nos dubitare, non solum pugnare cum vera sententia catholicae Ecclesiae, sed etiam salutis Ecclesiae pessime consulere.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Si Hilarius attentè legas, ambiguitatem, quæ fidei, & spei contraria est, intelligit, sic enim incipit hanc sententiam: Confirmare nos in spem bonorum æternorum, laborat: Plures enim, & amor præsentium, & desperatio futurorum, incertos facit, & aurillebris capit, aut infidelitate confundit, & mox sequuntur quæ hic posita sunt: Cum igitur, inquit, sine incertæ voluntatis ambiguitate, de ea incertitudine loquitur, quam superius arguerat non timoris, sed desperationis, & hoc ipsum paulo post eodem cap. apertius exponit, & huic proposito conuenientius, cum exponens hæc verba: nolite iudicare, ita inquit: Iudicare de sponsonibus suis vetuit, quia ante iudicia ex incertis rebus inter homines sumuntur: Ita hoc iudicium aduersus Deum, ex sentiendi, atque opinandi ambiguitate suscipitur. Vide itaque de promissionibus tantum Dei, Hilarius velle nos non dubitare, at verò, quod sæpius dicendum est, pœnitentia nulli est promissa, nec perseverantia.

b Hæc confirmant, nostra fides, inquit, non sit ambigua, sed fides de Diuinis tantum promissionibus esse debet.

c Desperationem omnes damnamus peccatum & grauissimum, & periculosissimum, eam confitentes, desperantes, inquit Pau. ad Eph. 4. semetipsostradiderunt in operationem omnis immunditiæ, sed præsumptionem, & temeritatem non minus dicimus esse vitandam, Paul. lo dicente Rom. 11. Noli altum sapere, sed time, si enim Deus naturalibus ramis non pepercit, ne forte nec tibi parcat. Vestra verò certitudo, quid aliud, quam temeritas, & contraria est huic Pauli admonitioni.

d Cum, scilicet, integro consensu de his, quæ iubemur credere dubitat,

tat, sed hoc satis patet nihil probare, non iubemur credere, dandum nobis donum pœnitentiæ.

e Caue iterum lector, de fauore Dei erga nos pœnitentes, & implentes eius præcepta iubemur non dubitare, sed fauor adhuc agenda, aut in his perseverandum, non est promissus alicui. Quid rogo apertius? f Catholicae Ecclesiae sententia consentit scripturæ, quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, ut habes in doctrina catholica.

g Imò optimè consulit, qui securitatem temerariam adimit, torporem excutit, & timoris stimulo, de quo dictum est: qui timet Deum, nihil negligit, desides excitat.

DE CONFESIONE. CATHOLICA.

CREDIT catholica Ecclesia, quod peccata à regno Dei excludentia, post baptismum commissa, etiam occulta, & solius cordis, reservata fuerint à Christo iudicio clauium Ecclesiae, & potestati illorū, quibus dixit: quorum remiseritis peccata, &c. quibus dedit vnicum hoc remedium noui testamenti, proprium peccantibus post baptismum, iudicium scilicet, & sententiam vel remittentem, vel retinentem peccatum. Quia igitur hoc iudicium sine cognitione exerceri non potest, nec omnium occultorum etiam haberi potest ab his iudicibus, quos præfecit Christus, nisi confessione eorum, qui commiserunt, nec absolueri possunt, nisi quem ad id paratum agnoscunt, necessariam esse peccatorum horum, & omnium quidem lacrymabilem confessionem, vera fides agnoscit, ex præceptis Evangelicis, & Apostolicis, vsu ipsius primitiæ Ecclesiae, & totius deinde catholicae, atque veteris, quæ seuerius multò illam exegit quam nunc, ut testimonij patrum ostenditur, in quibus si aliqua, quæ in faciem huic fidei videantur aduersa, inueniantur, nouit eadem non inde scandalizari, nec alijs offendiculum ponere, sed vel prudenter exponere: iuxta intentionem loquentium, & certam hanc regulam fidei, vel agnoscit non efficacia esse, sed vel reiicienda, vel referenda ad speciales

CATHOLICA.

leges dispensationis praelatorum. Ioan. cap. 20. Quors
remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retine-
ritis, retenta sunt. Iacobus cap. quinto: Confitemini, in-
quit, alterutrum peccata vestra, cum prius de sacerdoti-
bus fuisset loquutus. In primitiua Ecclesia, sub Pauli
Apostoli disciplina, Actu. quinto, legimus, quod multi
credentium veniebant confitentes, & adnuntiantes actus
suos. Clemens, Dionysius, Apostolorum discipuli,
Origenes, Tertullianus, & Cyprianus. Post Aposto-
lorum gubernationem, in eorum discipulis, confessionis
& usus eius sunt aperta testimonia, & deinde in patribus
illis proximis. Clemens Epistol. prima inter ea, quae a Pe-
tro dicit se accepisse, quod si forte (ait) alicuius cor, vel li-
uor, vel infidelitas, vel aliquod malum ex his irrepperit,
non erubescat, qui animae suae curam gerit, confiteri haec
huic, qui praest. Dionysius vero Epistol. ad Demophi-
lum, consuetudinem iam ostendit fuisse peccatoribus,
sua manifestandi peccata sacerdotibus, arguit enim dure
monachum, quod contempserit, & ab Ecclesia calce ex-
pulerit impium sacerdoti procidentem, cum ille, inquit,
verecunde (quod oportuit) fateretur se ad remedia pec-
catorum quaerenda venisse. Origenes in Psal. 38. Ho-
milia secunda, exponens illud: Quoniam iniquitatem
meam pronuntiabo, ita inquit: Pronuntiationem ini-
quitatis, id est, confessionem peccati, frequentius dixi-
mus. Vide ergo quid edocet nos scriptura diuina, quia
oportet non celare peccata intrinsecus tantummodo,
circumspice diligentius, cui debes confiteri peccatum tuum,
& post pauca: qui si intellexerit, & praeuiderit languo-
rem tuum talem esse, qui in conuentu totius Ecclesiae ex-
poni debeat, & curari, multa hoc deliberatione, & me-
dici illius consilio procurandum est. Idem Homilia se-
cunda

CATHOLICA.

43

cunda in Leuiticum aperte de eodem loquitur, & illud
Iacobi: inducat presbyteros Ecclesiae, de confessione ex-
ponit Tertullianus lib. de poenitentia, inter ceteras par-
tes exomologesis quam vocat, ponit presbyteris aduolui,
quod de confessione esse sequentia ostendunt, in qui-
bus exhortatur ad superandum pudorem confitendi.
Cyprianus sermone de lapsis, arguit temeritatem illo-
rum, qui post negatam, inquit, fidem ante exomologesi-
factam criminis accesserunt ad altare, dicens deinde: quan-
to maiores fide sunt, & timore meliores, qui quamuis
nulli sacrificij, aut libelli facinore constricti, quoniam ta-
men de hoc vel cogitauerunt, hoc ipsum apud sacerdo-
tes Dei dolenter, & simpliciter confitentur, exomologe-
sin conscientiae faciunt, animi sui pondus exponunt. Post
priores illos secuti, Hieronymus, Ambrosius, Augusti-
nus, Chrysostomus, & Basilius, qui quanta auctoritate
in scriptura exponenda, & docenda fide, quam in Eccle-
sia constantes fuerint, notum est, omnes aperte confes-
sionis necessitatem docent: Hieronymus in locum illum
Matth. 16. Tibi dabo clauces regni caelorum, &c. Quan-
quam quorundam supercilium arguens, ibi non nihil
videatur detrahare auctoritati sacerdotum, sed non de-
trahit verè, ita inquit, ligat, vel soluit Episcopus, vel
presbyter, non eos qui fontes sunt, et noxii, sed pro officio
suo, cum audierit peccatorum varietates, scit quis ligan-
dus sit, quis soluendus. Idem in cap. decimo, Ecclesiastes
illud verbum: Si momorderit serpens in silentio, &c. ita
exponit: si quem Diabolus occultè momorderit, qui
percutsus est, si non egerit poenitentiam, nec vulnus suum
fratri, & magistro voluerit confiteri, &c. Vbi vide quod
de confessione tanquam re certa illum locum scripturae
exponit, non verò laborat, ut necessitatem confessionis

Hierony-
mus.

probet. Ambrosius libro secundo de poenitentia, capite
sexto: Soluit, inquit, criminum nexus verecunda confes-
sio peccatorum, vbi statim admonet non erubescendum
esse in Ecclesia confiteri peccata, libri illi ab omnibus ci-
tantur vt Ambrosij, quanquam nobis certè non viden-
tur nec stylo, nec sententijs Ambrosio conuenire, & cui
ita videtur, si aliud Ambrosij verbum de confessione nō
habet, sit contentus testimonio operis, quod maius est,
quàm verbi. Scribit Paulinus in vita Ambrosij, quod
quotiescunque illi aliquis lapsus suos confessus esset, sic
ferebat, vt illum flere compelleret, causas autem criminū,
quæ illi cōfitebatur, nulli nisi Domino soli, apud quem
intercedebat, loquebatur. Itaque Ambrosij tempore in
Ecclesia confessio criminum in vsu erat. Augustinus
etiam in libro primo de doctrina Christiana, cap. deci-
mo septimo, & decimo octauo: Peccata (inquit) nisi sub-
iectione clauibus Ecclesiæ nō putat dimitti. Et Tractat.
49. super Ioānem in Lazari resurrectione, apertè docet
ministros Christi soluere à peccatis. Sed de confessione
specialiter, Psalm. 66. in illa verba: Confiteantur tibi po-
puli Deus, & quæ sequuntur. Latentur, & exultent gen-
tes: ita loquitur. Quid times confiteri, si non confessus
lates, non confessus damnaberis, vbi multa alia de neces-
sitate confessionis: ad hoc, inquit, exigit Deus confes-
sionem, vt liberet humilem, ad hoc damnat non confiten-
tem, vt puniat superbos. Ergo tristis esto antea quàm
confitearis, confessus exulta, saluaberis. Chrysostomus
libro tertio de sacerdotio, de potestate clauium multa lo-
quitur, vbi conferens auctoritatem sacerdotum nouæ le-
gis auctoritati sacerdotum veteris, ita inquit, sacerdoti-
bus nostris non corporis lepra, verum animæ sordes, nō
dico

Augusti-
nus.

Chrysosto-
mus.

dico purgatas probare, sed purgare prorsus concessum
est. Et libro secundo apertius de confessione loquens,
admonet sacerdotes, ne importuniùs aut sua sola aucto-
ritate premant peccates, sed multa, inquit, arte opus est,
vt qui laborant Christiani vltro sibiipsis persuadeant,
sacerdotum curationi sese submittere oportere. Vbi mul-
ta in hanc sententiam loquutus, quanta etiam diligentia
examinare debet Episcopus poenitentis conscientiam,
docet. De Basilio manifestum est, quid de confessione
sentiat, cuius sensum Chrysostomi etiam possumus me-
rito æstimare, vt qui & studiorum, & vitæ fuerint socij.
Igitur ille in regula monachorum, cap. 31. iuxta transla-
tionem Ruffini, quæstioni an omnibus confitenda sint
peccata? respondens apertè dicit, illis cōfitenda esse, qui-
bus dispensatio Dei commissæ est. Vbi multa de neces-
sitate confessionis ex verbis Matthæi & Actuum Apo-
stolorum loquitur, & frequenter in alijs locis eiusdem li-
bri. Posteriores omnes à quadringentis, & octingentis
annis de ea manifestissimè loquuntur, Beda, Rabanus,
Hugo de sancto Victore, Bernardus, Magister Senten-
tiarum, & ceteri omnes, qui eum sequuntur. Ex qui-
bus, & multis alijs sentit catholica Ecclesia, enumera-
tionem peccatorum coram sacerdote ita ad salutem ne-
cessariam, nisi necessitas eam excludat, vt generalis nullo
modo sufficiat. Confessio enim nec ob instructionem
tantum eorum, quæ ad salutem sunt necessaria, nec ad
audiendum Euangelium necessaria est, sed ad partici-
pandum meritum, & virtutem passionis Christi per Sa-
cramentum eius. Quare etsi in agenda poenitentia ne-
cessaria sit primò omnium fides, quæ per dilectionem
operatur, specialis tamen illa, qua nobis certò remitti pec-
cata gratis propter solum Christum statuimus, aded ne-

Basilius.

CATHOLICA.

cessaria non est, vt sit contraria veræ fidei, & scripturæ, quæ ita sperare iubet, remissionem peccatorum, & Dei erga nos gratiam, atque fauorem, vt de iisdem timere iubeat, quare sequitur de his non esse fidem, cum vera fides omnem timorem contrarij eius quod creditur auferat. Nec dubitamus de omnipotentia Dei, superabundantiq; Christi merito, de quo dictum: copiosa apud eum redemptio, certos nos esse debere. Quia verò peccatorum remissio, non nisi pœnitentibus promittitur, & sub conditione: Si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius non recordabor. Et ipsa pœnitentia præcipitur dicente Christo: Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Quæ proculdubio nostrum liberum arbitrium respiciunt, & cor: quod prauum, & inscrutabile, soli que Deo notum est: merito de propitiato peccato non sumus sine metu. Nec tamen, quia pœnitentiam, & liberi nostri arbitrij actum requiri dicimus ad remissionem peccati, collocamus spem salutis, & remissionis peccati in operibus nostris, aut libero nostro arbitrio, nisi præuenito à gratia, & fauore Dei, quidquam tribuimus, multò minùs remissionem peccatorum mereri posse ab aliquo, asserimus. Cum ipsam pœnitentiam non nisi ex gratuito Dei munere remittente peccatum, & ad eam mouente liberum arbitrium esse in nobis fateamur, & Deum absque meritis præcedentibus, scilicet, iuxta Pauli sententiam, accepto ferre iustitiam, & remittere, atque tegere peccata, confiteamur. Sed quia hanc gratiam ad pœnitentiam mouentem in speciali nulli à Deo promissam esse, sed Deum quorum vult misereri, & quos vult indurare, Paulo docente, didicimus: asserit catholica fides, nullum in speciali, præter nouam reuelationem, credere posse, hanc gratiam, & Dei fauorem sibi

con-

CATHOLICA.

45

concessum esse, quare nec remissionem peccati. Ad Philippenses 2. Cum metu, & tremore vestram salutem operamini, Deus est enim, qui operatur in nobis, & velle, & perficere, pro bona volūtate. Cum itaque timere nos iubeat de salute nostra, fidem excludit, in qua Dominus ipse timorem reprehendit: Quid timidi estis modicæ fidei? Vbi tam longè est à veritate, vt bonæ voluntatis, & gratiæ Diuinæ erga nos debeamus esse certi, vt hac sola ratione, quia Diuinæ gratiæ est nostrum velle, & operari, & non virium nostrarum naturalium, iubeat Paulus nos timere, quia Deus, inquit, pro bona voluntate sua operatur velle, & perficere, atque ideo sicut hoc nulli debet, ita nulli promissit, sed quorum vult miseretur, & quos vult indurat, id est, non miseretur, vt Augustinus exponit. 1. Corinth. 4. Nec me ipsum iudico, nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum, qui autem iudicat me, Dominus est: itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordiū. Ecce quod Paulus præcipit de absconditis cordis etiam proprii, & de iustificatione nostra, non iudicare, nec certos esse. Dubitare igitur nos vult de incerto cordis nostri, non de immensitate gratiæ Dei, & meritōrum Christi, quibus tamen non repugnat iustitia illa, qua, quos vult, indurat. Ionæ 3. Iohelis 2. Ex ore pœnitentium dicitur: Quis scit, si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ? & tamen hæc pœnitentia placuit Deo. Sic enim dicitur: Vidit Deus operum, quia conuersi sunt, & misertus est super malitiā, quam loquutus fuerat, vt faceret, & veram constat eos habuisse fidem, & ad pœnitentiā sufficientem, cum scriptū sit: & crediderunt viri Niniuitæ Domino, & prædi-

Matth. 8.

Primo loco.

G 5

caue.

CATHOLICA.

cauerunt ieiunium, & cæt. Eadem ferè verba Iohel Propheta ad pœnitentiam exhortans dicit: Conuertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus & misericors est, & præstabilis super malitia, ecce fides misericordiæ, & statim: Quis scit, si conuertatur, & ignoret Dominus, ubi sub dubio ponens, an Deus sit remissurus peccata, ostendit fidei ad pœnitentiam necessariè dubium illud non solum non repugnare, sed etiam coniunctum esse debere. Hieronymus in vtrunque locum. In Ionam quidem: Ideo (ait) ambiguum ponit, & incertum, vt dum homines dubij sunt de salute, fortius agant pœnitentiam, & magis ad misericordiã prouocent Deũ. Et in Iohel ita dicit: Ego, inquit Propheta, hortor quod meum est ad pœnitentiam, & Deum ineffabiliter noui esse clemẽtem dicente Dauid: Misere mei Deus, secundum magnam misericordiam, &c. Sed quia profundum diuitiarum & sapientiæ, & scientiæ Dei nosse non possumus, sententiam tempero, & opto potius, quàm præsumo, dicens: quis scit, si conuertatur, &c. Quod autem dicit quis, aut impossibile, aut difficile sentiendum est, vide hic quàm certam hanc doctrinam habuerit Hieronymus, & quàm planum putauerit esse hunc sensum Prophetarum. Bernardus in sermone octauo Paschæ. Quæ nam electis poterat esse consolatio inter spem, & metum, solitudine anxia fluctuantibus, si nullum omnino electionis suæ habere testimonium mererentur? nouit Dominus qui sunt eius, & solus ipse nouit quos elegit à principio, quis verò scit hominum, si est dignus amore, vel odio? quod si vt certum est, certitudo nobis omnino negatur, nunquid non tantò delectabiliora erunt signa, si qua possumus inuenire? Loquitur verò toto sermone de incertitudine remissionis

CATHOLICA.

46

nis peccatorum, & signis eius. Innocentius tertius in capit. Accepimus de purga. Canon. De Archiepiscopo Bisuntinenſi refert, quod iuramentum purgationis sub hac forma obtulit, quod immunis erat ab illis criminibus, super quibus se purgare debebat. Et post parum infert: Præsumimus fortè, quod sub præscripta forma iurare volebat, quod immunis erat ab illis criminibus, de quibus fuerat infamatus, tanquam dimissis per pœnitentiam iam esset immunis ab illis. Sed hoc iurare non parua temeritatis existeret, cum beatus Iob dicat: Etiam si simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.

DE SATISFACTIONE. VVIRTENBERG.

DE satisfactione credimus, & confitemur, quod sola passio, & mors vnigeniti filij Dei Domini nostri Iesu Christi sit satisfactio pro peccatis nostris, & quod hæc satisfactio Christi offeratur, & applicetur nobis ministerio Euangelij, excipiat autem à nobis fide. Confitemur etiam, quod postquam satisfactio Christi nobis applicata, & per fidem accepta sit, necessariò debeamus bona opera, quæ à Deo præcepta sunt, facere, non vt ijs expiemus peccata coram Deo, sed ad declarandam obedientiam nostram, bonos fructus pœnitentiæ proferamus,

SCHOLIA CATHOLICA.

- a Nihil videlicet ab ea alienum, opera verò satisfactoria, effectus sunt eius.
- b Non tamen solum, nam & virtute clauium, & Sacramentis in hoc à Christo institutis, offertur, & applicatur nobis satisfactio Christi.
- c Fide, quæ per dilectionem operatur, vt supra diximus.
- d Quid ergo est quod per Esaiam clamat Deus: Subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam, & venite, & arguite me dicit Dominus. Si fuerint peccata vestra vt coccinum, quasi nix dealbabitur, quomodo explicari possit apertius expiatio peccatorum? Denique lege præconia eleemosynæ, & effectus apud eundem §8. cap.

&

& gratitudinē nostram ⁊ testificemur. Nam de oratione, ieiunio, eleemosyna, et alijs id genus operibus sentimus, ea diligentissimē sectanda esse, sed longē alium habere vsum, quā quod vel b meritis suis satisficiant Deo pro peccatis nostris, vel applicent nobis meritum Christi.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Cur non, & vrapud Deum ampliora mereamur præmia, & illis-
mus gratiores, vt habes in catholica assertionē.

b Meritis suis, quæ ex gratia habent, quæ videlicet sunt à spiritu Chris-
sti in nobis producta, & eius operante merito, cur ergo nō satisficiant ⁊
quod in catholica doctrina etiam docetur.

c Paulus inquit futuros nos cohæredes Christi, si tamen cōpatimur, vt
conglorificemur, quō igitur ampliū compatimur Christo, magis eius
meritum nobis applicamus, quod eleemosynis, & oratione, & ieiunijs
certum est fieri. Fidelis, inquit, sermo, 1. Timoth. 2. quia si commortui
sumus, & conuiuemus, si sustinebimus, & conregnabimus.

DE SATISFACTIONE. CATHOLICA.

DE satisfactione credit fides catholica, quod quia re-
misso peccato per gratiam, & meritum Christi, restat
nōnunquam exsoluenda aliqua pœna temporalis, sicut
in David, & multis alijs ostendit scriptura, manet & fre-
quenter infirmitas animæ, & praua consuetudo ex pec-
cato: necessarium sit orationibus, ieiunijs & eleemosy-
nis satisficere Deo pro pœna (dicente Gregor. in Homil.
Euangelij ouis perditæ: nam cogitandum summoperē
est, vt qui se illicita meminit commisisse à quibusdam li-
citis studeat abstinere, quatenus per hoc conditori suo
satisficiat) & ijsdem etiam animam contra infirmitatem
peccati roborare. Credit verò eadem fides catholice Ec-
clesiæ, passionem Christi ita sufficientem esse satisfactio-
nem pro peccatis omnibus, vt nullum opus nostrum nisi
ab ipsa virtute satisfaciendi habeat, à qua & gratiam vt id
operemur accipimus, atque idem de virtute meriti, & cæ-
teris quæ de laude operum nostrorum dici possunt con-
fitemur,

fitemur, esse videlicet omnia à merito, & gratia Christi.
Hæc igitur opera, gratia, & meritis Christi producta, &
pro peccatis satisficiunt, & meritum ipsum Christi ma-
gis, magisque nobis applicant, vt qui sanctus est, sancti-
ficetur adhuc, quare non fructus tantum sunt & signa,
quibus testamur, & declaramus obedientiam, & grati-
tudinē nostram, sed etiam prouentus, atque augmenta
virtutum, & meritorum, & spirituales profectus anima-
rum, quod cum dicimus, non solum nihil detrahimus
virtuti Christi, sed plurimum tribuimus, illustramusq;
eius gratiam, dum non solum ipse, sed & nos per ipsum
satisficimus, proficimus, & apud Dei iustitiam opera-
mur digna præmio.

DE ORATIONE. VVIR TENBERG.

ORatione Deus inuocatur. Vera autem inuocatio est
opus fidei, nec potest sine fide fieri. Fides autem
intuetur Christum, & nititur solis ⁊ meritis Christi.
Quare nisi applicaueris tibi meritum Christi fide, ora-
tio nullius est coram Deo momenti. Exigitur autem
oratio in hunc vsum, vt consideratione diuinarum pro-
missionum, fides in nobis excitetur, & inflammetur. Ita-
que non absurdè quidem dicitur, oratione deleri pecca-
ta, non autem hoc sensu, quod opus ipsum orationis, sit

SCHOLIA CATHOLICA.

a Non excludit pœnitentiam nostram, & cetera opera, quibus fides
tanquam quæ sunt per Christi merita, nobis donata nititur ad beatitu-
dinem sperandam: qui facit voluntatem Patris mei, intrabit in regnum
celorum, dicit Dominus in Euangelio.

b Certum est orationem sine fide inefficacem esse, sed non propterea
nihil operatur ultra, quā fides precedens, sicut enim iubemur oran-
tes credere, ita precipimur credentes orare, nisi enim oremus, & instan-
ter à Deo salutem petamus, fides sola non satis erit, dicente Domino:
oportet semper orare. Fidei actus est orare, sed alius ab actu credendi,
& vtrique est suus locus tribuendus, vt scriptura docet.

merito

VVIR TENBERG.

merito ^a suo satisfactio pro peccatis, corā Deo, sed quodd oratione excitetur, & accendatur fides, qua fide participamus meritum Christi, & habemus remissionem peccatorum, propter ^b solum Christum. Priusquam enim Deum oratione inuocamus, necessarium erit, vt meritū Christi sit nobis applicatum, & fide acceptum. Quare fieri non potest, vt oratio sit tale opus, propter cuius meritum consequamur coram Deo remissionem peccatorum. Psalm. 108. Oratio eius fiat in peccatum. Non posset autem fieri peccatum, si ^d per se esset opus tam dignū, quo peccatum expiaretur. Esaia 1. Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis, & cum multiplicaueritis orationem, non exaudia. Deus autem ^e nō auerteret oculos, & aures ab oratione, si esset dignitate sua satisfactio pro peccatis nostris. August. in Psalm. 103. Oratio quæ ^f non fit per Christum, non solum non delet peccatum, sed etiam sit ipsa peccatum. Bernardus in quadragesima. sermo. 5. Sed & vitam æternam aliqui fortassis non in humilitate quærunt, sed tanquam in fiducia suorum meritorum. Nec hoc dico quin accepta gratia fiduciam donet orandi, sed non oportet vt in ea constituat quisquam ^g fiduciam impetrandi. Hoc solum conferunt hæc præmissa dona, vt ab ea misericordia, quæ tribuit hæc, sperentur etiam ampliora. Sit ergo oratio, quæ pro temporalibus est circa solas necessitates restricta: sit oratio quæ pro virtutibus est animæ, etiam ab omni impuritate libera, & circa solum beneplacitum Dei intentata: sit ea, quæ sit pro æterna vita, in omni humilitate, præsumens ^h de sola, vt dignum est, miseratione Diuina.

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Merito suo, quod & gratia Christi habet, cur non sacrificium illud & cordis affectuumq; omnium immolatio, de qua dicitur: In die tribulationis

SCHOLIA CATHOLICA.

48

lationis meæ Deum exquisiui manibus meis, & reuult consolari anima mea, satisfactio erit pro peccatis?
^b Vide quoties hac exclusiua particula se decipiunt & alios, non hoc aufert penitentiam, & fructus eius, quæ à Christo in nobis sunt.
^c Ante orationem necesse esse, vt meritum Christi applicetur nobis, atque ita iustificemur, nec auctoritas, nec ratio vlla docet, imò & scriptura, & patres, peccatores orādo remissionem obtinere docent: patet in publicano orante, non ascendit in templo iustificatus, non orauit iustificatus, sed descendit post orationem iustificatus: Et si prius semper iustificatur homo, quā ore, quomodo peccator orare posset, cum Chrys. dicat in illum locum Matt. Omnis, qui petit, accipit, siue iustus, siue peccator sit.
^d Per se quidem ex gratia, & fide digna est oratio, ceterum sine his nulum tam bonum opus est, quod apud Deum quidquam valet, quod verò catholica doctrina de oratione docet, non de reprobā oratione, sed de ea quæ Christo grata, est accipiendum.
^e Verum est, aliquam orationem non bene fieri, sed quæ, vt à Christo precipitur, sit, Deo gratissima est, & satisfactio, vt in doctrina catholica habetur.
^f Hoc quis neger? aliena est oratio, quæ non fit per Christum.
^g In ea non est constituenda fiducia, sed in summa Dei misericordia.
^h Hæc Bernardus dicit, quibus catholica doctrina confirmatur, in sola, præsumendum misericordia est, à qua, vti ipse inquit, reliqua omnia habent vt sint, & efficacia sint.

DE ORATIONE. CATHOLICA.

Oratio ergo, qualem Christus docet, diuinæ gratiæ opus est, à qua datur nobis, vt sicut oportet oremus: & merito opus fidei dicitur, estque frequenter & applicationis meritorum Christi, & iustificationis, ceterorumque bonorum in nobis principium maximum, quæ scilicet illa impetramus, non virtuti alicui nostræ, sed Christo in oratione innitentes, vnde Ecclesia ab ipso edocta claudit orationes per Dominum nostrum, &c. Non itaque solum exigitur oratio in scriptura, vt excitetur fides, sed etiā vt remissionem peccatorum obtineat, & post remissionem satisfaciatur residuæ penæ, perseuerantiam impetret, & apud Deum mereatur æternam remunerationem.

CATHOLICA.

munerationem. Matth. 6. Luc. 18. Iohel 16. Primo loco, inquit Christus, ora Patrem tuum, &c. Et Pater tuus celestis reddet tibi. Ecce meritum orationis apud Deum. Secundo loco, Publicanum orantem: Deus propitius esto mihi peccatori, proponit Christus, & hac oratione iustificatum dicit, quod 2. Regum 12. in Dauid apertius ostenditur, ecce impetratio iustificationis. Tertio loco, dicit: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Et Lucae vndecimo: Omnis qui petit accipit, & innumera sunt de hac re Euangelij loca. Hæc de impetratione, quæ omnia maximè oratio Dominica confirmat, in qua petimus ipso iubente: dimitte nobis debita: & ne nos inducas. Daniel. 3. Psal. 50. Heb. 3. Primo loco dicitur, non est in tempore hoc holocaustum, nec sacrificium, &c. ut possimus inuenire misericordiam tuam, sed in anima contrita, & spiritu humilitatis suscipiamur, sicut in holocausto arietum, & taurorum, & cæterorum. Sic fiat sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi. Offerebat verò Azarias oratione eo loco, illa ergo acceptissimū est sacrificium pro peccato, de quo Psalm. Sacrificium Deo spiritus contribulatus. Vnde & Paulus: Offeramus, inquiens, hostiam laudis Deo, statim addit, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius, & quoties in scriptura oratione etiam aliorum placatus dicitur Deus? Exod. 32. Placatusque est Dominus ne faceret malum, quod loquutus fuerat aduersus populum suum, oratione scilicet Moyse, ut ibi patet. Chrysostomus duobus lib. de Oratione. De efficacia, & utilitate orationis tanta dicit ut non possint hic referri, vnum tantum verbum adducimus, sic ait: Nec enim fieri potest, non potest, inquam, fieri, ut qui postulāt à Deo pudicitiam, iustitiam, &c. non assequantur id quod petunt, ad quod pro-

CATHOLICA.

49

probandum, statim ex Matth. & Luc. plurima adfert testimonia. Bernardus 4. sermon. Quadragesimæ. De temeraria, & tepida oratione loquutus, subiungit: quæ verò fidelis, & humilis, & seruens oratio est, cælum sine dubio penetrabit, vnde certum est, quod vacua redire non poterit, denique de efficacia, & laude orationis pleni sunt libri sanctorum.

DE IEIUNIO. VVIRTENBERG.

Ieiunium sentimus vtile esse non in hoc, ut vel operis sui meritò expiet peccata coram Deo, vel applicet ieiunanti meritum Christi, sed ut sobrietate inijciat carni frenum, ne homo crapula, & ebrietate impeditus, vocationi Dei minùs obsequatur, & suo officio oscitanter defungatur. Sed ieiunio suus postea dabitur locus.

SCHOLIA.

a At ieiunium inter prima opera penitentiae ponitur: Conuertimini ad me in ieiunio, & fletu, &c. Ioh. 1. Penitentia verò expiat peccata, & applicat meritum Christi, idque, ut sæpe dictum est, ex virtute Christi, & gratiæ, sine qua fieri non potest.

DE IEIUNIO. CATHOLICA.

Ieiunium non solum ad carnem subiiciendam spiritui, sed ad placandum etiam Deum, satisfaciendumque ipsi pro peccatis, & Christi meritum nobis magis, magisque, quo scilicet ampliùs affligimur, & ei crucifixo conformamur, applicandum necessarium esse, Niniuitarum exemplum ostendit, & Catholici patres docent, dicente Chrysostomo in locum tertij cap. Matth. facite fructus dignos penitentiae, delictis, & temulentia destituebas, ieiunio, & aquæ potu vtrunque compensa. Et Bernard. in sermo. 1. Quadragesimæ. Non est magnum, si ieiunet cum Christo, qui lesurus est ad mensam Patris cum ipso: non magnum, si compatiatur membrum capiti, cum quo

quo & conglorificandum est, cetera de hoc relinquimus in locum, in quo placuit his cōtentibus de ieiunio ex-
tius dicere.

Eleemosynam diligenter commendamus, &hortamur Ecclesiam, vt proximum quisq; suum quoquo officio potest adiuuet, ac charitatem suam ^a testificetur. Sed quod alicubi dicitur: Eleemosynam delere peccatū, sicut aqua extinguit ignem, iuxta fidei ^b analogiam intel-
ligimus. Quid enim ^c opus fuisset ad delenda peccata passione, & morte Christi filij Dei, si peccata delentur merito eleemosynae? Et quis ^d vsus esset ministerij Euan-
gelij, si eleemosyna diuinitus fuisset ordinata, pro orga-
no quo applicaretur nobis meritum Christi? Quare, vt
maneat Christo suus honor inuiolatus, & ministerio
Euangelij suus legitimus vsus, docemus eleemosynam
sic delere peccatum, non quod per se sit ^e dignum opus,
quo vel peccatum expiatur, vel meritū Christi applicetur,
sed quod sit opus & fructus charitatis erga proxi-
mum, quo opere & testificamur fidem, & obedientiam no-
stram, quam debemus Deo, Vbi autem est fides, ibi ^b so-
lus Christus agnoscitur peccatorum expiator. Itaq; cum
eleemosyna testificetur, suo quodam modo Christum
habitare in pijs, ⁱ testificatur etiam eos habere peccatorū
remissionem. Nisi enim eleemosyna sit opus charitatis,
quae testificetur fidem in Christum, tantum abest, vt si-
gnificet hominem habere peccatorum remissionem pro-
pter Christum, vt planē coram Deo sordet ^k. Si distri-
buero, inquit Paulus, omnes facultates meas in cibos pau-
perum, charitatem autem non habuero, nihil mihi pro-
dest. Docemus igitur bona opera necessariō facienda.
Deum oratione inuocandum, pie ieiunandum, & elee-
mosy-

mosynam dandam esse, vt fidem, & charitatem nostram
testificemur, & vocationi Dei obediamus. Sed in agen-

SCHOLIA CATHOLICA.

- ^a Et exerceat etiam, atque perficiat, dicente Paulo, dimitibus huius secu-
li praecepta diuites fieri in operibus bonis: dītescūt itaque bene operātes.
^b Imō iuxta proprietatem, & veritatem rerum, cum nihil absurditatis
habeat, quod dicit peccatum compensari eleemosyna, vt oporteat se-
cundum analogiam intelligi.
^c Pulchra ratio, ita dicam: Quid opus passione Christi si fides
necessaria est, quod si dicas, fide nos excipere passionis Christi meritū,
ita & nos dicimus idem fieri bonis operibus, quibus illi crucifixo confis-
guramur, est ergo passio Christi necessaria, quia per illam eleemosyna
est efficax, & ab illa habemus, vt omnia bona opera agamus.
^d Imō, cur non passio Christi multis modis nobis applicari potest, certē
ministerio Euangelij annuntiatur nobis vt credamus, sed sacramentis
Christi exhibetur, & cunctis nostris bonis operibus aut de nouo susci-
pitur, aut suscepta magis, & magis participatur, quid rogo ex hoc de-
trahitur praedicationi Euangelij?
^e Per se sine gratia, verum est, sed ex ea cum producit, dignitatem
delendi peccatum, & applicandi meritum Christi habet.
^f Fructus, inquam, quo Deum promeremur, dicente Christo, Pater
tuus reddet tibi.
^g Testificamur non tantū, sed implemus etiam obedientiam, quam
debemus Diuinis praeceptis, quare est ipsa eleemosyna obedientia illius
praecepti: Date eleemosynam & non tantū signum.
^h Solus, vt frequenter explicatum est, nihil alienum ab eo, nihil quod
non virtute illius hoc habeat, significat.
ⁱ Fit etiam eleemosyna a peccatore, nec est ingrata Deo, si impetranda
eius misericordiae gratia fiat: Frange esurienti panem tuum, inquit Pro-
pheta, tunc erumpet quasi mane lumen tuum & sanitas tua citius orie-
tur. Non ergo significat eleemosyna remissa esse peccata, sed desiderium
saltem, quod habemus, vt remittantur nobis, vel pietatem aliquam in
Deum, vel in proximos.
^k Idem etiam de ipsa fide Paul. dicit, sed re vera verba haec nō probant,
eleemosynam sine virtute charitatis factam sordere apud Deum, sed
non sufficere ad salutem: Nihil, inquit, sum: sordet verō, quando fini-
stra intentione fit.
^l Et vt iustificemur etiam, aut proficiamus in iustitia, ideo de his operi-
bus dicit Dominus, Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram ho-
minibus, &c.

VVIR TENBERG.

da vera pœnitentia, docemus remissionem peccatorum contingere nobis^a tantum propter filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum per fidem, iuxta illud quod Petrus dicit: Huic omnes Prophetæ testimonium ferunt, quod remissionem peccatorum accipiat, per nomen eius^b quisquis crediderit in eum.

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Verum est, sed non excluditur pœnitentia, & satisfactio, & reliqua, quæ ab illo sunt.

^b Fide quæ per dilectionem operatur, ut Paul, explicauit, ubi reliqua bona opera, prout necessaria, vel expedientia sunt, clauduntur, dicente Pau. Charitas omnia credit.

DE ELEEMOSYNA. CATHOLICA.

Eleemosynam scriptura, & catholica Ecclesia docet, primum redemptionem esse peccatorum, dicente Daniele: Peccata tua eleemosynis redime, & Tobia: Eleemosyna ab omni peccato, & à morte liberat. Docet dein de meritum esse æternæ vitæ, dicente Christo: Sit eleemosyna tua in abscondito, & Pater tuus reddet tibi, & rursum: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, &c. Non ergo (quod sæpe repetendum est, quia non piget aduersarios fidei cōtrarium repetere) hæc bona opera, ut fructus solum ad arborem sunt conferenda, sed ut prouentus ad arboris Dominum, nec signa sunt solum, & testimonia virtutum, sed augmenta etiam, & profectus, & virtutum, & meritorum. Nec quod tribuitur fidei, scilicet meritum Christi in nobis applicare, charitati auferendum est, cum fidei quæ per charitatem operatur, solum hoc conueniat, & quod fidei, & charitati tribuitur, non est auferendum alijs pijs operibus, quæ etiam charitatis, & fidei sunt opera, ut Paulus apertè docet 1. Corinth. 13. Et ad Hebræos vndecimo. Docet etiam catholica fides, nihil hinc detrahi Christi meritis, aut Euan-

CATHOLICA.

51

Euangelio suum locum auferri, à Christo enim, ab eius meritis, & virtute est in nobis, & fides quæ prædicatione Euangelij instruitur, & gratia, qua eleemosyna, & reliqua bona opera fiant & efficacia sint. In agenda ergo pœnitentia, & cæteris Christianæ vitæ operibus, Christo totum tribuit fides catholica, & propter eum tantum nobis contingere remissionem peccati, & meritum æternæ vitæ, & perseverantiam, à quo habemus ut hæc faciamus, ipso dicente: Sine me nihil potestis facere, & sicut palmes nō potest ferre fructum à semetipso, &c.

DE EUCHARISTIA.

VVIR TENBERG.

Credimus, & confitemur, Eucharistiam (sic enim libuit maioribus nostris cœnam Dominicam vocare) esse Sacramentum à Christo ipso institutum, & usum eius usque ad nouissimum huius sæculi diem Ecclesiæ commendatum esse. Sed quia aliud est substantia, aliud usus eius, idcirco de his ordine dicemus. De substantia Eucharistiæ sentimus, & docemus, quod verum corpus Christi, & verus sanguis eius in Eucharistia^a distribuatur: & refutamus eos, qui dicunt, panem, & vinum Eucharistiæ esse tantum absentis corporis, & sanguinis Christi signa. Credimus etiam, omnipotentiam Dei tantam esse, ut possit in Eucharistia substantiam panis, & vini, vel annihilare, vel in corpus, & sanguinem Christi mutare. Sed quod Deus hanc suam absolutam poten-

SCHOLIA.

^a Amici addite, & realiter contineatur post consecrationem, etiā cum non distribuatur, aut explicite apertè solum in distributione esse, nam cum multi hoc moneant hoc tempore, an perpetuo maneat corpus Christi, an tantum in distributione, confitenda est apertè fides, non sub inuolucris.

H ;

tiam

VVIR TENBERG.

tiam in Eucharistia exerceat, nō videtur esse a certo ver-
bo Dei traditum, & apparet veteri Ecclesiæ ignotum
fuisse. Sicut enim cum Ezechiele de vrbe Hierusalem,
in latere descripta, dicitur: Ista est Hierusalem, non ne-
cesse fuit, vt substantia lateris mutaretur in substantiam
vrbis Hierusalem. Ita & cum de pane dicitur: Hoc est cor-
pus meum, non est necesse, vt substantia panis mutetur
in substantiam corporis Christi, sed ad veritatem Sacra-
menti sufficit, quod corpus Christi verē sit cum pane
præsens, atque adeo d. necessitas ipsa veritatis Sacramen-
ti exigere videtur, vt cum vera præsentia corporis Chri-
sti, verus panis maneat. Nam quemadmodum ad verita-
tem Sacramenti baptismi necessarium est, vt in vsu eius
aqua sit, & maneat vera aqua, ita necessarium est in cœ-
na Dominica, vt panis in vsu eius sit, & maneat verus pa-
nis, cum mutata panis substantia non constaret veritas
Sacramenti. Vnde & Paulus, & veteres Ecclesiastici scri-
ptores, panem Eucharistiae etiam post consecrationem
panem vocant. 1. ad Corinth. II. Probet seipsum ho-
mo, & sic de pane illo edat, &c. & quicumque mandu-
cauerit panem hūc, & biberit calicem Domini indigne,
&c. August. in sermo. ad infantes. Quod vidistis, panis
est, & calix, quod vobis etiam oculi vestri renuntiant,

SCHOLIA CATHO-

LICA.

a Certum verbum est, hoc est corpus, hic est sanguis, &c. ita tota Ecce-
sia, non dubium quin Apostolorum traditione intelligēte, esse, scilicet,
in hoc sacramento vnam tantum demonstratam substantiam corporis,
scilicet, Christi, quare eodem sensu semper intellexit, non esse ibi panē.
b Adeo ignotum fuit, vt nunquam de hoc dubitatum fuerit, non esse
panem post consecrationem mille integris annis, post quos, mox vt in
dubium verti cepit, tribus, aut quatuor concilijs, cōsentiēte tota Ecce-
sia, damnatum est, asserere esse in hoc sacramento panem, vide in asser-
tione catholica.

c Hic

SCHOLIA CATHOLICA.

52

e Hic amici rursus expostulamus vobiscum, quod non apertē fidem
vestram explicetis, certē cum in Ezechiele dicitur: Ista est Hierusalem
apertum est non de vera ciuitate, sed de figura tantum eius dici, quod
si ita intelligatis in præsentia: Hoc est corpus meum, non de vero corpo-
re Christi, sed de figura quadam eius (quod vestra obscurius subindica-
re videntur cum dicitis: ad veritatem Sacramenti sufficit, quod corpus
Christi verē sit cum pane præsens) falsum omnino est, ideoque verbū
verē cuperemus magis explicatum, substantialiter scilicet, & realiter
esse ibi corpus Christi, sed quia verē tantum dicitis, & exemplum addu-
citis Ezechielis, timemus ne dicatis ita verē ibi esse corpus Christi, sicut
in latere Hierusalem, non enim falsū erat descripta, sed verē, & supe-
rius iterum damnatis dicentes: Panem, & vinum tantum esse absentis
corporis, & sanguinis Christi signa, non itaque negatis signa esse, sed
negatis signa absentium rerum, ita igitur iuxta fidem vestram, satis est,
vt sint signa rerum præsentium, sicut ciuitas Hierusalem præsens erat
lateri. Quod si veram fidem tenetis realiter, & substantialiter ibi esse
corpus, & sanguinem Christi, cur tam alienum exemplum adducitis?
nam primō cum dicitur: hæc est Hierusalem, non substantia lateris, aut
aliud aliquid ostendebatur, sed figura in eo descripta, vnde nulla opus
erat ibi conuersione. Secundō, esse illud non reale aliquod significat, sed
figuratiuum tantum, quod vera fides in Sacramento non admittit.
d Exigit vt ante consecrationem sit verus panis: post consecrationem
verō exigit, vt iam non sit, qua consecratione mutatur, vt habes in ca-
tholica assertionē.

e Ibi nulla transmutatio significatur per verba sacramentalia, sed vsus
tantum aque, hic verō apertum est mutationem significari.

f At non materialem, vel corporalem, sed illum qui dixit: ego sum pa-
nis viuus, & pater meus dat vobis panem de cœlo verum, nam si ibi est
panis, est ne illud etiam corpus Christi? nam Paulus dicit eo loco, nos
corpus Christi edere, quod si panis est corpus Christi, oportet vnionē
fieri, qualis in incarnatione creditur, vt sicut Deus est homo, ita Chri-
stus sit panis ille materialis, & contra ille panis Christus, quod non pu-
tamus catholicas aures passuras, non igitur aliud est ibi, quā corpus
Christi, vt verum sit illud, hoc est corpus meum.

g Dupliciter constat hoc intelligi, primū, vt panem vocet species il-
las, quæ vera signa sunt panis, sicut figura dicitur figuratum. Secundō,
vt panem vocet, non materialem, sed spiritualem, Christum videlicet
ipsum, qui ita se vocat, vnde non inquit, ille de pane edat, sed de pane il-
lo, cælesti, scilicet, & postea panem, & calicem Domini, vocat non abso-
lutē panem, & calicem.

H 4

Quod

VVIR TENBERG.

Quod autem fides vestra postulat instruenda, * Panis, est corpus Christi, calix, sanguis. Quod autem ad Eucharistiae usum attinet, primum etsi non negamus, quin totus Christus, tam pane, quam vino Eucharistiae⁶ dispensetur, tamen docemus, usum vtriusque partis debere⁶ vniuersae Ecclesiae communem esse. Manifestum enim est, quod Christus ipse nihil periculis, quae postea humana superstitione excogitata sunt, aut alijs commentis deterritus, tradiderit Ecclesiae vtramque partem vten dam. Manifestum etiam est, quod vetus⁶ Ecclesia vsa sit vtraque parte multis annis, & testantur aliquot scriptores perspicue, eos, qui solū panē accipiunt, nō accipere plenum Sacramentū sacramentaliter, (sic enim loquuntur) & diuisionem vnius, eiusdemque mysterij, sine grandi sacrilegio fieri nō posse. Quare sentimus, usum vtriusque partis esse verē catholicum, & Apostolicum, nec licere vlli homini, hanc Christi institutionem, & tā diuturnum veteris, & verae Ecclesiae ritum, pro sua libidine mutare, & laicis vt vocant, alteram partem Eucharistiae auferre. Ac mirādum est, quod hi, qui profitentur se ritus⁶ veteris Ecclesiae propugnare, tam procul hac in par-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Quod panem vocat, constat verē ad species panis referendum, secundum tropum illum, quo figura dicitur res figurata, alioqui Aug. non asserit vnionem inter corpus Christi, & panem, qualem inter humanā naturam, & verbū. Potest & intelligi panis est corpus Christi, celestis, scilicet, ita ipse Aug. de verbis Domini, sermone 33. inquit: Quis est panis de regno Dei, nisi qui dicit, ego sum panis viuus, nolite parare fauces, sed cor. Ecce credimus in Christum cum fide accipimus, nam in accipiendo nouimus, quid accipimus: modicū accipimus, & in corde sagittamur, non ergo quod videtur, sed quod creditur pascit, quod si apertius vis cognoscere, quē panē Aug. intelligit, vide eodem loco, sermo. 28. vbi exponens panē nostrū quotidianū de Sacramento hoc ita loquitur: cum de Sacramēto tractarem, dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur, vbi verba Christi deprompta fuerint, iam non

SCHOLIA CATHOLICA.

53

non panis dicitur: Deinde quaerit, quare ergo in oratione Dominica panis quotidianus dicatur? Respondet panē quidem dicit, sed inuocans id est, super substantialem, non iste panis qui vadit in corpus, sed ille panis vitae aeternae, qui animae nostrae fulcit substantiam, ecce de quo pane dicit August. panis est corpus Christi.

b De vsu quidem recte dicitur, cuperemus tamen realem existentiam eos aliquando explicasse.

c Si singulis Ecclesiae membris vultis esse commune, idque necessariū ad salutem singulorum, probandū est auctoritate, & ratione certa, nam nos commune dicimus Ecclesiae, quod etsi non singulis, quibusdam tamen eius membris conuenit, & per eos redundat vtilitas in alios, quod in vsu Eucharistiae agnoscimus.

d Fatemur, tradidit, sed ad usum vtriusque partis Ecclesiam sic obligasse, vt quilibet teneatur ita sumere, Ecclesia nunquam sensit, vt in assertione catholica est, sensus autem eius, est verē sensus Christi: quod igitur rationes, quibus Ecclesiae visum est populum altera specie debere contentum esse, commenta, & humana superstitione excogitata dicunt, non caret contumelia, certē nimium sibi tribuunt, qui in re dubia & consensu sapientum, in hanc partem definita, sensum suum tantifaciant, vt aliorum commenta esse dicant.

e Eadem Ecclesia sub vna specie saepe vsa est, pro infirmis maximē, quo ostenditur nunquam vtramque speciem omnibus sumentibus putasse necessariam.

f Fatemur hoc, sed accipit plenum, & totum Christum, nam quia sacramentaliter accipere, est sub ipsis speciebus sacramentalibus accipere, qui vtramque non accipit, non plenum Sacramentum sacramentaliter accipit, & ideo in celebratione Sacramenti, vbi integritas requiritur sacramentalis, vtrumque necessariū est sumendum, peracta verō celebratione, & integrē consecrato Sacramento, sicut nō potest probare, necessarium esse, vt ab alio sumatur, ita nec probare potest, sumendum sub vtraque specie, & perspicua sunt testimonia, quod antiqua Ecclesia ita sentit.

g Nec probatum est, esse Christi institutum, nec ritum perpetuum verae Ecclesiae: sed potius contrarium, vt habes in catholica assertionem.

h Ritum quos illa necessarios credidit, aut fidei consonos, eodem gradu tenemus, qui verō pro temporum diuersitate diuersimodē seruati sunt, vel secundū aliquam temporālē rationem, quia agnoscimus eos nō vt necessarios fuisse seruatos, asserimus mutari posse ab eadem Ecclesia, cum ita expedire indicauerit. Ritum antiquae Ecclesiae fuit, vt abstinerent gentes à sanguine, & suffocato, sed non dubitamus rite iā abrogatū, ita communio vtriusque speciei nō semper habita fuit necessaria.

H 5

te

VVIR TEN BER G.

te à veteri Ecclesia recedant. Deinde cum sacrificij nomē latissimè pateat, ac generaliter significet sacrum cultum, libenter concedimus verum, & legitimum vsum Eucharistiae posse hoc modo sacrificium dici, etsi Eucharistia iuxta institutionē Christi ita celebratur, vt in ea adnuntietur mors Christi, & b dispensetur Ecclesiae Sacramentum corporis, & sanguinis Christi, rectè vocatur applicatio meriti passionis Christi c his videlicet, qui Sacramentum sumunt. Nec damndae sunt piaē lectiones, & preces, quae cōsecrationem vt vocant & d dispensationem Eucharistiae praecedere, & sequi solent. Sed interea non licet nobis errores, qui ad hoc sacrum, imperitia magis priuatorum hominum, quàm legitimo consensu verae catholicae Ecclesiae, accesserunt, dissimulare, & approbare. Vnus error est, quod ex cultu, qui debet Ecclesiae esse communis, fiat priuata vnius sacrificuli actio, qui vt solus sibi legit verba cōenae Dominicae, ita etiam solus panem, & vinum sumit. Nam Christus instituit Eucharistiam, non vt esset priuata vnius actio, sed vt esset Ecclesiae communio. Itaque ad rectam Eucharistiae actionem requiruntur ad minus duo, videlicet minister Eucharistiae benedicens, & is, f cui Eucharistiae Sacramentum dispensetur. Cum enim Christus hoc Sacramentum institueret, non ipse solus vesceretur, sed dispensabat Ecclesiae suae, quam tum praesentem habebat: Accipite, inquit, manducate, &c. Et bibite ex hoc omnes, &c. Hoc Christi institutum, b vetus, & vera catholica Ecclesia, tam seueriter obseruauit, vt eos, qui in hoc sacro praesentes non communicarent, excommunicauerit. g. Anacletus in i. Epist. Peracta consecratione

SCHOLIA CATHOLICA.

a Nos verò propriè, & verè cum Ecclesia catholica sacrificium dicimus, in quo videlicet (licet incruentè) offerimus Christum Patri.

b Cur

SCHOLIA CATHOLICA.

54

b Cur si ab vno tantum suscipiatur, non sufficiat ad institutionē Christi seruandam, sed illum fortè dicetis personā tenere Ecclesiae. Ita enim alicui dispensandum esse Sacramentum, & non toti Ecclesiae, videmini asserere, sed cur non satis erit vt sacerdos ipse sumat?

c Imò his etiam, qui offerunt, vel pro quibus offertur, vt in catholica assertionē habes.

d Non tantum consecratio, & dispensatio, sed oblatio etiam fit in celebrationē huius sacramenti, cuius nolunt meminisse isti confitentes.

e Si vnus nomine Ecclesiae agat, & iuxta eius ordinationem, quare non erit communis actio, etiam si non adsit Ecclesia, aut quare Ecclesia congreganda est, quoties aliquid eius nomine fieri debet? Paulus absēs etiā a Corinthiis dicit, congregatis vobis & meo spiritu cum virtute domini Iesu, ita etiam minister Ecclesiae, spiritu congregatus est cum tota Ecclesia, & totam habet praesentem in officio missae, vt ex arcanis precibus patet.

f Si vnus solus, suscipiendae tenet personam Ecclesiae, cur non & ipse minister, qui ex persona Christi, & vices eius gerens, consecrat, sumere poterit in persona Ecclesiae, vt mediator ille sacerdos vtriusque agat causam, atque omnē Ecclesiam adiuet, non solum orationibus, & oblationibus, sed etiā sumptione ipsa, se perficiēs, qui membrum Ecclesiae est.

g Si ex hoc Christi opere colligitis necessitatem ita faciendi, toti igitur praesenti Ecclesiae semper est dispensandum Sacramentum, quod cum ipsi non asseratis, permittitur etiam catholicae Ecclesiae, haec exempla Christi imitari, prout iudicat filijs suis conuenire.

h Libenter hoc à vobis audimus, agnoscite veterem illam, & veram Ecclesiam, & satis est nobis, illam enim sequimur, audiemus verò libenter quibus testibus illius probatis sensum.

i Anacletum agnoscimus legitimum testem consuetudinis Ecclesiae, sed expendite testimonium eius, ita igitur inquit: Episcopus Deo sacrificans testes secum habeat, & plures, quàm alius sacerdos, in solēnioribus quippe diebus septem, aut quinque, aut tres diaconos, qui eius oculi dicuntur, & subdiaconos reliquosque ministros secum habeat, qui sacris induti vestimentis in fronte, & à tergo, presbyteri è regione, dextera, leuāque: contrito corde, & humiliato spiritu, ac prono stent vultu, custodiētes eum à maleuolis hominibus, & consensum eius praebent sacrificio, peracta autem consecratione omnes communicent. Vbi primò aduertendum hoc ad omnes ministros tantum referendum esse de ijs enim mentio proximè facta fuerat. Secundò hanc esse legē de solēniori ritu celebrandi, in solēnioribus, inquit diebus, in quo certum est multa mutata esse ab Ecclesia, & quotidie mutari posse, nihil ergo hic, quod ad necessitatem Sacramenti, vel praecēpti immutabilis pertinet, neque est, sed ritus est, & caeremoniae.

omnes

VVIRTENBERG.

omnes communicent, qui noluerint Ecclesiasticis carere
iminibus, & addit: sic enim & Apostoli statuerunt, &
sancta Romana tenet Ecclesia. ^a Concilium Antioche-
num cap. 2. Omnes, qui ingrediuntur Ecclesiam Dei,
& sacras scripturas audiunt, non autem cum populo in
oratione communicant, & auersantur sanctam assump-
tionem Dominici Sacramenti, secundum aliquam pro-
priam disciplinam, hos ab Ecclesia abijci oportet. ^b Dio-
nyf. de Ecclesiast. Hierarchia. Pontifex cum diuina mu-
nera laude prosecutus fuerit sacrosancta, & augustima
mysteria conficit, & quæ antè laudauerat, venerandis
operta, atque abdita signis, in conspectum agit, diuinaq;
munera reuerenter ostendens, ad sacram illorum com-
munionem & ipse conuertitur, & reliquos vt commu-
nicent hortatur, sumpta ^c denique, atque omnibus tra-
dita communionem Diuina, gratias referens, finem myste-
rijs imponit. Arbitramur itaque necessarium esse, vt ad
conseruandam in celebratione Eucharistiae institutio-
nem Christi, & ad sectandum exemplum veteris, ac veræ
catholicæ Ecclesiae, ^d abrogentur priuata sacrificulorum
missæ, restituantur publica cœnæ Dominicæ communio.
Alius error est, quod Eucharistia sit tale sacrificium,
quod debeat iugiter in Ecclesia ad ^e expianda peccata vi-
uorum, & mortuorum, & pro impetrandis alijs benefi-
cijs tam corporalibus, quàm spiritualibus, offerri. Hic
error manifestè pugnat cum Euangelio Christi, quod
testificatur Christum vna ^f oblatione, semel tantum fa-
cta, consummasse in sempiternum sanctificatos. Et quia
Christus passione, ac morte sua impetrauit nobis remis-
sionem peccatorum, quæ & nobis per Euangelion in
nouo testamento adnuntiatur, idcirco non ^g licet amplius
pro peccato sacrificare. Dicit enim Epistola ad Hebræ.

^a Ague

SCHOLIA CATHOLICA.

55

- ^a Agnoscimus & hoc sanctum Episcoporum catholicorum concilium
in eo verò non hi, qui non communicant Sacramento excommunican-
tur, sed qui auersantur sanctam assumptionem Dominici Sacramenti, se-
cundum aliquam propriam disciplinam, & hos constat hæreticos, &
schismaticos esse.
- ^b Hic absque dubitatione Dion. dicunt auctorem de Ecclesiast. Hier.
Alibi ponunt sub dubio, quem dicunt scripsisse ritus ab Apostolis, nos
verò cum antiquis patribus, & Ecclesia fatemur, Dionys. illos libros ef-
se, iam quid asserat audiamus.
- ^c Ibi similiter de ministris tantum mentio præcessit, quare de his fortè
tantum intelligendum, aut certè, quod mos ipse loquendi satis ostendit,
omnibus qui communicarunt, non enim prius gratias refert, & finem
imponit mysterijs, quàm omnes communicauerint, non quod nullum
non communicet, sed quod omnes, qui ad id parati sunt prius commu-
nicant, sicut August. aliquando dicit de vno tantum vnus ciuitatis ma-
gistro dici posse, hic docet omnes pueros.
- ^d Certè nulla auctoritate, aut ratione, nullo fructu Ecclesiae: cur si so-
lus sacerdos in pago paratus sit communicare, auferetur ab eo celebran-
di facultas, vbi & pro Ecclesia orat, & non dubium, quin eius nomine
orationes, & oblatio accepta sit Deo, cur ergo his omnibus priuabitur
Ecclesia? Certè qui agnoscunt sacrificium missæ, & eius veritatem, nos
sunt ea priuari Ecclesiam, modò non indecenter, & inordinate fiat, sed
seruentur quæ ad hoc Ecclesia seruanda constituit.
- ^e Hoc quod errorè dicitis, omnis antiqua Ecclesia fatetur, quia enim
quotidie peccamus, quotidie egemus expiari à peccatis, & quia quoti-
die periclitamur, quotidie nobis Dei beneficia impetranda sunt, quod
maximè facimus sistentes Christum patri, & eius merita coram eo offe-
rentes, vt propter ea nobis placetur.
- ^f Nec nos post illam aliam offerimus, illam agnoscimus consummas-
tam in acceptatione Diuina, & sufficere pro peccatis omnibus, sed quia
nos post illam peccamus quotidie, eius necesse est quotidie de nouo par-
ticipes fieri, quod hac oblatione contendimus.
- ^g Certè nec licet amplius peccare, verum quia illicita facimus, & non
obstante passionis Christi efficacia peccamus, & ipsam quantum in no-
bis est euacuamus in nobis ipsis, cur postea non licebit penitere, flere
peccata ieiunare? Cur non ipsi passioni Christi, qua nos frustraui-
mus peccantes rursus vniri? Cur non Patri filium sistere in hoc Sacra-
mento?

Vbi

Vbi est peccatorum remissio, iam non est oblatio pro peccato. Namque Christus dicit: Hoc facite in mei commemorationem, non iubet corpus, & sanguinem suum in coena Deo, sed Ecclesiae offerre, ut Ecclesia edendo corpus, & bibendo sanguinem Christi, ac praedicando beneficium mortis eius, admoneatur de ea corporis, & sanguinis Christi oblatione, quae semel tantum in cruce, in expiationem peccatorum facta est. Sic enim Paulus hoc dictum Christi interpretatur, quotiescunque, inquit, manducabitis (non ait obtuleritis) panem hunc, & bibetis calicem, mortem Domini praedicate, donec veniat. Ac fatemur quidem, quod veteres Ecclesiastici scriptores vocauerint Eucharistiam sacrificium, & oblationem, sed se ipsi exponunt, quod nomine sacrificij intelligant memoriam, adnuntiationem, seu praedicationem sacrificij, quod Christus semel in cruce peregit, sicut & memoriam Paschae, & Pentecostes, vocant Pascha, & Pentecosten. Alius error est, quod nonnulli sentiunt oblationem (quam ita vocant) Eucharistiae, non esse quidem per se propitiationem pro peccatis, sed applicare autem propitiationem, & meritum Christi viuis ac mortuis. Sed iam demonstratum est, quod Eucharistia proprie non sit oblatio, sed sic vocetur, quod sit memoria oblationis semel in cruce factae. Deinde applicatio meriti Christi, non sit alio externo organo, quam praedicatione Euangelij Christi, & dispensatione eorum Sacramentorum, quae Christus in hunc usum instituit, & meritum Christi oblatum, & applicatum, non recipitur nisi fide. Marci ultimo. Praedicate Euangelium omni creaturae: ministerio enim Euangelij offeruntur, & applicantur creaturis, hoc est, siue Iudaeis, siue Gentibus, beneficia Christi, & sequitur: Qui credide-

rit,

rit, & baptizatus fuerit, saluus erit, quia sumptione & Sacramentorum, & fide accipiuntur oblata, & applica-

SCHOLIA CATHOLICA.

- a Oblatio secunda, siue alia, dicitur non necessaria, ut ad Hebr. 10. inquit Chrysost. nos vero non aliud offerimus, quam ipsum, quod ille obtulit.
- b Ita vobis videtur, sed neque contextus, neque patres ita intelligunt, ipse Christus se obtulit Patri, & hac commemorata oblatione dixit: hoc facite in meam commemorationem.
- c Cur non ut efficiatur magis, magisque particeps? cur non ut patri sua deuotione, & fide offerat Christum? nec enim quod offertur aliud est, quam quod in passione, & opus ipsum, atque deuotio offerentium, non aliunde virtutem habet, quam ab ipso Christo, qui in omni opere pro Ecclesia tanquam caput operatur.
- d Non propterea negat offerri, nam & nos fatemur non esse peragendum hoc mysterium, nec offerendum sacrificium, nisi ut sumatur, ut Paul. inquit: Nonne qui immolant hostias participes sunt altaris? sed quia sumitur aliquando sine oblatione, ut ab infirmis, & alijs post celebrationem accedentibus, etiam tunc dicit Paulus mortem Christi annuntiare, quia in memoriam mortis eius sumitur.
- e Memoriam, seu praedicationem factam populo, siue faciendam non dicunt, sed memoriam coram Patre, unde dicunt nos quotidie offerre debere.
- f Ita omnino dicimus, & propterea, quia meritum Christi applicant viuis, & defunctis, merito hac oblatione propitiatur Deus peccatis.
- g Imò nunquam hoc probatum est: commemorationem vocant patres oblationes non coram populo tantum, ut vos estis interpretati, sed etiam coram Deo, & haec est vera ratio sacrificij.
- h Primum oblatio dici potest dispensatio Sacramenti, cum enim Christus iusserit offerre hoc sacrificium, & sumi (ut probatum est) utrumque pertinet ad dispensationem, deinde nulla ratione probatur oratione meritum Christi non applicari & deuotione fidelium, vel ipsis, qui per se hoc orant, aut alijs, pro quibus hoc petunt, multo magis orationibus Ecclesiae.
- i Fide, & operibus eius. ut martyrio suscepto pro Christo, ita & alijs operibus, quibus ei configuramur, & deuotione ipsa, sed haec omnia, & reliqua pia opera fidei sunt.
- k Ut proximè explicatum est omnibus pietatis Christianae operibus accipimus Dei beneficia oblata.

ta be-

ta beneficia: Ad Rom. i. Euangelion est potentia Dei, ad salutem omni credenti, hoc est, ministerium Euangelij est organon diuinitus institutum, quo Deus est potens, & efficax ad saluandos omnes eos, qui Euangelio credunt. Itaque & prædicatio Euangelij offert, aut si ita loqui libet, applicat omnibus salutem. Fides autem oblatam, & applicatam salutem accipit. In priuata autem Missa, panis, & vinum ita tractantur, vt sacrificulus neque adnuntiet publicè Euangelium Christi, sed sibi ipsi quædam, ac præsertim verba cœnæ, seu consecrationis, tacitè recenseat, neque dispense alijs panem & vinum, sed solus ipse ea sumat. Quare nulla potest esse applicatio meriti Christi in priuata missa. Hoc senserunt veri catholici maiores nostri qui tam seueriter quemadmodum supra indicauimus exegerunt, vt qui in Missa præsens nō communicauerit, excommunicetur. Alius error est, quem iam attigimus, quod exigitur, vt verba cœnæ, seu consecrationis in Eucharistia tacitè recitentur, cum hæc verba sint pars Euangelij, quod iuxta mandatum Christi omnibus creaturis est prædicandum, etsi enim maiores nostri vocarunt aliquoties Eucharistiam mysterium, nō tamen hoc consilio sic vocarunt, quod verba cœnæ non sint coram Ecclesia in Eucharistia publicè, & lingua vulgo nota, recitanda: sed quod in Eucharistia aliud videatur, aliud intelligatur. Nam & Christus ipse vocatur mysterium, qui tamen non est occultandus, sed omnibus creaturis prædicandus. Et quia in sumenda Eucharistia exigitur fides, fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Dei, maximè omnium necessarium est in Eucharistia, vt verbum cœnæ, quod est verbum filij Dei publicè recitetur. Hoc enim verbum, est prædicatio Euangelij, & adnuntiatio mortis Christi. Quare vt Ecclesia intel-

intelligat, quid in Eucharistia agatur, & quid ipsi sumendum offeratur, & vt fidem suam cōfirmet, necessaria est in Eucharistia publica recitatio verborum cœnæ Dominicæ. Alius error est, quod vna pars Eucharistiæ soleat in singularem cultum Dei, circumgestari, & reponi. Vetat autem Spiritus sanctus, ne cultus Dei sine certo Dei mandato instituat. Deuteronom. 12. Non

SCHOLIA CATHOLICA.

- a Prædicatio Euangelij ad externam doctrinam pertinet, atque ita ad li-
teram occidentem, proponit enim, & obligat ad suscipiendam, quæ pro-
ponuntur, quo facto alij credunt, alij non, dum alij per gratiam illumina-
nantur, alij deferuntur. Prædicatio ergo ipsa Euangelij dici potest offer-
re omnibus salutem, sed non applicare, vnde quod Euangelium dicitur
virtus Dei ad salutem, non ad externam prædicationem referendum
est, sed ad ea, quæ in Euangelio prædicantur, crucem scilicet resurre-
ctionem, & gratiam Christi.
- b Ostensum est illa omnia nomine Ecclesiæ fieri, & ita applicari me-
ritum Christi, eius iussu, & intentione Ecclesiæ.
- c Nunquam probatum est, hunc esse errorem, fatemur quod sunt pars
Euangelij, quod quidem prædicandum est, cum hoc agimus, vt popu-
lus doceatur, in celebratione verò Eucharistiæ longè aliud fit, nam sicut
aliud est baptizare, aliud prædicare, quamuis verba baptismi sint pars
Euangelij: ita aliud est conficere Sacramentum corporis, & sanguinis
Christi, quod cum fit, reuerentiùs, & deuotiùs, tacitè & secretè fit, aliud
est prædicatio Euangelij.
- d Publicè fatemur esse prædicandum, sed non in ipso ritu Missæ, vbi
magis laus Dei, & cultus agitur, atque eleuatio cordium, & conuersio
ad secretiores orationes, quam prædicatio.
- e Hoc agitur in prædicatione, vt dictum est, non in ritu Missæ.
- f Quod necessarium sit, vt in Ecclesia intelligatur, atq; ideo vt prædi-
cetur illi, verum est, sed potest, & debet extra actionem ipsam consecra-
tionis id fieri.
- g Certum est mādatur, vt adoretur Christus vbicunque demum ve-
raciter fuerit, vt Paulus illud interpretatur adoret eum omnes Ange-
li Dei.

VVIR TENBERG.

facietis singuli, quod sibi rectū videtur. Et iterū: Quod præcipio tibi, hoc tantū facias Domino, nec addas quidquam, nec minuas. Matthæ. 15. Frustrā colunt me docentes doctrinas, & mandata hominum. Clemēs Epist. 2. ad Iacobum & de conse. distinct. 2. cap. Tribus. Certē tanta in altari holocausta offerantur, quanta populo sufficere debeant, quod si remanserint in crastinum, non referuentur, sed cum timore, & tremore clericorum diligentia consumantur. Non ignoramus quomodo hæc Clementis verba eludi soleant, confecto discrimine inter opus morientium, & opus consecrantium. Sed manifestum est, quod panis, qui circumgestari, & in adorationem reponi solet, non referuetur pro infirmis: sed tandem à consecrantibus ipsis sumatur. Cyrillus vel ut alij sentiunt Origenes in Leuit. cap. 7. Nam & Dominus panem, quem discipulis dabat, dicebat eis: Accipite, & manducate, &c. non distulit, nec seruari iussit in crastinum. Hoc fortasse mysterij continetur etiam in eo, quod panem non iubet portari in via, ut semper recentes, quos intra te geris, verbi Dei panes proferas.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Singuli hoc agunt, qui priuatum suum sensum sequuntur, non verò qui communem Ecclesiæ, deinde hoc faciunt, qui, quod sibi videtur, id docent, quod vos facitis, non verò qui rectam fidem Ecclesiæ cultu externo testantur, quod agimus adorantes Eucharistiam.
b Primum hoc pertinet ad seruitutem legis, in qua omnia erant ex præscripto tradita, tanquam pueris, non verò ad libertatem nouæ legis, in qua ad magisterium Spiritus sancti missi sunt Apostoli: docebit, inquit, vos omnē veritatem. In qua paucissima de ritibus præscripta sunt, & multa deinceps vel prælatorum ordinatione, vel consuetudine, vel certē priuata deuotione suscepta: sed omnia consona fidei: deinde substantiæ religionis, & fidei nihil addimus, dum quod exterius sit, certē illi fidei attestatur: vnde qui hæc dicunt sub nomine Euangelicorum, & libertatis Euangelicæ, Iudaicam seruitutem, imò certē maiorem imponunt Christianis.

e Hos

SCHOLIA CATHOLICA.

58

e Hominum mandata ea sunt, quæ neque scriptura, neque tradita ab Apostolis habentur, nec inde certa ratione sequitur, nec eis consonat, sed adoratio Eucharistiæ ex ea fide sequitur, quæ creditur ibi esse Christus.
d Hæc sunt ordinationes prælatorum, quæ mutari pro diuersitate temporum possunt, prout Ecclesiæ videbitur. Tempore Niceni concilij vidimus iam seruari Eucharistiam: & certē in ipsa epistola Clemens satis ostendit nonnunquam asseruatam fuisse Eucharistiam.
e Seruari posse, imò debere seruari pro infirmis certum est ex omni antiquitate Ecclesiæ. In qua verò quantitate, & forma non est ad rem. Adorandum verò ibi esse Christum, & nostram deuotionem excitandam ad illum in Sacramento præsentem fides docet.
f Cyrillus eo loco magis loquitur mysticē: non enim refert illud ad hanc Sacramenti reservationem, quanquam ibi tantum dicat non esse præceptum à Christo: sed non inde sequitur esse prohiberi. Quod verò Cyrillus intendit, hoc tantum est, ut ex illis verbis Leuitici colligat, nostram deuotionem semper renouandam erga Christum.

DE EUCHARISTIA.
CATHOLICA.

Credit, & confitetur catholica Ecclesia. Sacramentum Eucharistiæ à Christo Domino institutum, consecratione, oblatione, & sumptione perfici: consecratio ad substantiam, quam illi vocant, oblatio, & sumptio ad vsum pertinent. Quia verò circa hæc tria diuersi sunt errores, quid circa singula catholica fides teneat, est ordine dicendum. De consecratione credit catholica Ecclesia, verbis illis mysticis à ministro, iuxta Christi institutionem prolatis, panem, & vinum, sine quibus hoc Sacramentum perfici non potest, ita in verum corpus, & sanguinem Christi mutari, ut post consecrationem non amplius ibi sint panis, & vinum, quod veritas verborum Christi requirit, & antiqua semper docuit Ecclesia. Cre

I 2 dit

dit etiam eadem fides, ex omnipotentia Dei potuisse in hoc Sacramento simul substantiam panis, & vini cū vero corpore Christi manere, sed id nequaquā esse posse, cū veritate verborū Christi, quare triplicē errorem hęc vera fides rejicit. Primus est, manere panē, & vinū post consecrationem. Secundus, corpus, & sanguinem Christi esse tantū ibi vt in signo. Tertius deniq; non in hoc Sacramento permanere corpus, & sanguinem Christi, q̄ diu permanēt illæ species, sed in distributione solū, nec post consecrationem, in scriptura, aut patribus panis, & vinū in Sacramento nominantur, nisi secundum tropum, & mysticam significationem, iuxta quam Christus dicitur verus panis, aut secūdum quod species, & figuræ illæ res esse dicuntur, quarum sunt species, dicitur panis, & vinum species illorum, quæ ibi manent. Lucæ 22. & apud alios Euāgelistas, & Paulum. Accepto pane dedit dicens: Hoc est corpus meum. Similiter & calicem, &c. Vbi quid demonstratur nobis illis verbis: Hoc, &c. Si bene consideretur, necessario probat ibi non esse substantiam aliam, quā corpus Christi, tota Ecclesia ita sentiente, cuius sensus sufficiant nunc duo fide digni testes. Ambrosius libro quarto de Sanctis cap. quarto. Tu fortē dicis, meus panis est vsitatus, sed panis ille, panis est ante verba Sacramentorum, vbi accessit consecratio, de pane fit caro Christi. Et rursus: Si ergo tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse, quæ non erāt, quantō magis operatorius est, vt sint, quæ erant, & in aliud conuertantur? Vbi obserua, quod in aliud dicit conuerti, quod hic astruimus, quod verō dicit esse, quæ erant, quamuis Lanfrancus Cantuariensis Ambrosij nolit esse, nec in libris Ambrosij tale reperiri verbum, intelligatur tamen ideo dicta, quia manent in aliud mutata.

Illud constat certō, Ambrosium apertē docere conuersionem panis in corpus Christi, & in alijs locis, & libro de his qui initiantur mysterijs: Probemus ait, non hoc esse, quod natura creauit, sed quod benedictio cōsecrauit, nec id docet, vt sensum suum, sed totius Ecclesiæ. Eusebius Emisenus apud Gratianum de consecratione distinctione 2. capit. Quia corpus. Recedat omne infidelitatis ambiguum, quoniam quidem qui auctor est muneris, ipse est etiam testis veritatis, nam inuisibilis sacerdos, visibiles creaturas in substantiam corporis, & sanguinis sui verbi secreta potestate conuertit, dicens: Accipite, & comedite, hoc est corpus meum, &c. Hęc denique fides totis mille annis in Ecclesia absque ambiguitate inuiolata permansit, eodem tenore consentientibus patribus, ibi realiter esse corpus Christi, & nullam aliam substantiam, idque ex ipsis demonstratiuis verbis, Hoc, &c. colligentibus, quæ vnā tantū demonstratam substantiam ostendunt ibi esse. Vnde cū primum cœpit in Ecclesia sub Leone nono, Victore secundo, & Nicolao etiam secundo, post integros mille annos à Berengario Archidiacono Andegansenfi in dubium vocari, & negari veritas corporis Christi in Sacramento, simul etiam panem, & vinum ibi esse asseruit, duo enim hęc semper in opinione omnium sese consequuntur, veritas corporis Christi, & absentia panis, & e contra, præsentia realis panis, & figura tantū corporis Christi, & vtrumque multis Concilijs sub tribus illis Pontificibus damnatum est, iuxta fidem totius temporis præcedentis, quæ certa semper fuerunt in Ecclesia, videantur de his Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi, Bertranni, & Pascalii opuscula, vbi huius fidei cer-

CATHOLICA.

tissima sunt testimonia. * De sumptione verò quam vsum illi vocant, tenet catholica Ecclesia, non celebrandum esse hoc Sacramentum sine vtriusque speciei sumptione, vt seruetur Christi præceptum, hoc facite in meam commemorationem, & integritas Sacramenti. Sed vtriusque speciei sumptionem ab omnibus, post integram Sacramenti celebrationem, accedentibus, siue tunc cum celebratur, siue postea, ad integritatem Sacramenti, ex ipsa eius natura, & Ecclesie antiquæ consensu, constat non esse necessariam, nec præceptum aliquod, omni sumenti, vt vtramque accipiat speciem, in scriptura esse, nec in consuetudine Ecclesie, vera fides agnoscit: sed sunt certa testimonia, quibus ostenditur, diuersas de hoc fuisse consuetudines, vnam tamen hanc constantem semper fidem, nō vtrāque speciem necessariò sumendā esse ab omni communicante. Qui ergo sentiunt, vtriusque speciei sumptionem omnibus necessariam esse, ex institutione Christi, & catholico, atque Apostolico vfu, nec alicui licere eam mutare, toti Ecclesie aperte repugnant. De oblatione similiter credit vera fides, hoc Sacramentū non tantū cultum Dei, sed peculiariter, & propriè sacrificium esse vniuersale Christianorum omnium, vbi ita commemoramus vnicam illam, & cruentam oblationem, quam Christus Patri obtulit in cruce, vt etiam eandem eius institutione, & præcepto, incruentē quidem, sed veraciter offerat tota Ecclesia Patri, qua oblatione meritum passionis Christi applicatur, non tantū his, qui sumunt Sacramentum, sed his etiam, qui offerunt, vel pro quibus offertur, modò illi capaces sint. Huic ergo perfectioni Sacramenti, quæ his tribus peragitur, sacras lectiones, & preces pias, & ornatum vasorum, & vestium, aliasque caeremonias, & ritus superaddidit

a Ad,

SCHOLIA CATHOLICA.

60

a. Aduersarij nihil hic antiquitatis Ecclesie adducunt: sed simpliciter aiunt, sumptionem vtriusque speciei, multis annis seruata in Ecclesia, & necessariam esse, veteris, & veræ Ecclesie auctoritatem: sed vt aduertant & ipsi, & catholici, non temerè in Ecclesia iam definitum, non esse necessarium, & ideo propter pericula non permittenda toti populo, sufficiat hic duo antiquitatis fide digna testimonia adferre, primum ex concilio Nicæno, vbi cap. 14. ita dicitur, Peruenit ad sanctum concilium, quod in quibusdam locis, & ciuitatibus, presbyteris diaconi Sacramenta porrigant, & statim hoc damnans, inquit, hoc neque regula, neque consuetudo tradidit, vt hi qui offerendi sacrificij non habent potestatem, ijs qui offerunt, Sacramenta porrigant. Vbi obiter etiam vide oblationem sacrificij in concilio Nicæno affirmari, iam sequitur: Sed illud innouit, quod quidam diaconi ante Episcopos sumunt Sacramenta, hæc ergo omnia amputentur, & accipiant secundum ordinē post presbyteros, ab Episcopo, vel presbytero, sacram communionē, quod si non fuerit in presenti vel Episcopus, vel presbyter, tunc ipsa proferant, & edant. Vide itaque tempore Nicæni concilij seruata Eucharistiam, & quidem sub altera specie tantū, quod ratio postulat, nec enim species vni in aliquot præcipuē dies seruari posset sine periculo, cuius rei etiam ipsi aduersarij testes sunt, qui vel ex hoc quod vtriusque speciem necessariam putant, aut nulla ratione seruari volunt: sed celebrari etiam etiam quoties infirmus communicandus est, seruabatur itaque sub altera specie, & ea tantū sumi permittebatur a diaconis in absentia sacerdotum, proferant, inquit, & edant, quare conciliū Nicænum non dicit hunc esse abusum, vt seruetur Sacramentum, cum non nisi vna species seruari possit, nec solum non reprehendit, sed concedit vnius speciei sumptionem. Sed veniamus ad secundū non minus apertum solius Ambrosij testimonium, is in oratione funebri Satiri fratris sui, illum commendat, quod in naufragio constitutus petierit fidelium Sacramentum, & in oratio ligari fecit, & orarium inuoluit in collo, atque ita se deiecit in mare, non requirens, inquit, tabulam, cui suspernatans inuaretur, denique quod à tempestate liberatus, sacramentum ipsum quod inuolutum orario gestabat, non nisi à catholico Episcopo, & qui cum Romana Ecclesia consentiret, suscipere voluit, quod demum, inquit, vbi primum copia fuit, suscipere non distulit: itaque hic vna tantum specie vti potuit, nec detestatus est hoc Ambrosius. tancquam contra Christi institutum, sed laudat potius fratris fidem, & ostendit vnius speciei sumptionem, nec nouam tunc, nec insolitam fuisse, nō itaque tam facile putent aduersarij hoc esse in Ecclesia decretum, quin prius antiquitatis sensus fuerit cognitus.

I 4

Ecclesia,

CATHOLICA.

Ecclesia, quorum quædam accepta sunt ab ipsis Apostolis, aut plenarijs concilijs, quæ videlicet per totum orbem seruat Ecclesia, alia vero ab Episcopis, & alijs particularibus prælatis suis Ecclesijs superaddita consonè ad scripturam, & traditiones. Quare nulli inferiorum licet pro sua libidine quidquam illorum mutare, maximè secularibus potestatibus, sine schismatis periculo. Sed quia circa hæc, imperitia quorundam, & aliorum negligentia, abusus aliquos irrepsisse fatemur, non propterea illorum nimium zelum, quo erroris damnant & hæreseos, quæ aut mala non sunt, aut certè multò minora, probare possumus, sed magis quàm ipsi nostra cogimur eorum dogmata rejicere. Quod ergo errorem dicunt, quod vnus legat verba cœnæ, & consecret, & idem solus sibi sumat, quasi propterea communis cultus Ecclesiæ priuatus fiat, & vt minimum necessarium esse alium aliquem cui Sacramentum dispensetur, vanum est, nullam habet auctoritatem, imò contrarium ex vsu ipso Ecclesiæ manifestè conuincitur, qui diuersus fuit, & varius, & pro diuersitate temporum mutatus, quo ostenditur nihil in hoc esse ex institutione, aut præcepto Christi, sed ad frequentem cõmunionem exhortabatur patres fideles omnes, propter salutem suam, non autem Sacramenti perfectionem. Concilium Agathense capit. quadragesimoseptimo, & de consecrat. distinct. 1. capit. Missas, & cap. 18. & 2. distinct. capit. Seculares. Missas die Dominico secularibus totas audire speciali ordine præcipimus, ita vt ante benedictionem sacerdotis egredi populus non præsumat. Seculares qui in natali Domini, Pascha, Penthecoste non communicauerint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur. Vide quod præcipiuntur omni die Dominico audire Missam, nullus vero præcipitur communicare,

CATHOLICA.

61

nicare, nisi illis tribus diebus, & hoc quidem ante annos mille in Ecclesia statuebatur, non ergo putabatur necessarium, vt alicui dispensaretur Sacramentum. Fabianus de consecrat. distinctio. secunda capit. Etsi non frequenter. Etsi non frequenter, saltem in anno ter homines communicent, in Pascha, Penthecoste, & Natali Domini, inter eiusdem decreta & hoc etiam habetur: decernimus, vt in omnibus Dominicis diebus, oblatio ab omnibus viris, & mulieribus fiat, tam panis, quàm vini, vbi apertè de missa loquitur. Idem igitur hic Pontifex multò antiquior illo concilio statuit, quo colligitur, quod si aliquando ab omnibus astantibus, aut à pluribus communicatum est, nunquam tamen iudicatum est ab Ecclesia necessarium, nec id multo tempore fuisse. Igitur qui arbitrantur necessarium esse, abrogare priuatas Missas, contra omnem antiquitatem Ecclesiæ loquuntur, nec bene consulunt Ecclesiæ, nec certè id assererent, si agnoscerent veritatem sacrificij, & vtilitatem ex eo, & ex orationibus Ecclesiæ, quæ omnia, quanquam ab vno fiant, cùm tamen totius Ecclesiæ nomine aguntur: Missa communis est totius Ecclesiæ actio, illud fatemur, non sine abusu esse, nec consuetudine aliqua excusari, quod nullo præsentem, nec respondentem, aut audientem, sacerdos peragat officium Missæ. Stat Soteris Pontificis decretum Consecrat. distinctio. prima capit. Hoc quoque, statuens vt non nisi duobus præsentibus, & respondentibus celebretur Missa, & ad minus requiritur vnus, qui locum tenet totius Ecclesiæ, vt omittamus interim obliuiones, quæ accidere possunt sacerdoti, & alia, propter, quæ meritò sit obseruandum. Maior etiam error est illorum qui reprehendunt, quod Eucharistia vt sacrificium semper in Ecclesia, pro viuorum, & defunctorum peccatis offeratur,

ratur, atque ad impetranda alia spiritualia, & corporalia beneficia, hæc enim vera fides est Ecclesiæ, satis indicata à Christo Domino dicente: Hoc facite in meam commemorationem, cum præcessisset, non tantum de consecratione sed etiam de oblatione mentio: Hoc est (inquit) corpus, quod pro vobis tradetur, & sanguis, qui pro vobis effundetur, & postea: Hoc facite. Quod ergo hæc indicatum est, tota Ecclesia explicatiùs multò intellexit, nò dubium quin ab Apostolis, & plenarijs concilijs accipiens, cum hæc fides in omnibus totius orbis ecclesijs semper fuerit, Et si enim certò credamus oblationem Christi in cruce fuisse completam, nec opus esse iam alia, quoniam tamen nos quotidie peccamus, & quatenus peccamus illius oblationis nos privamus fructu, necesse est eandem semper, non aliam offerri in Ecclesia, ipsumque Christum, eiusque merita præsentari Patri pro reconciliatione consequenda & perseverantia, alijsque ad salutem necessarijs, sicut necesse habemus reconciliari Patri, & eius invenire gratiam, non certè alio merito, nec propitiatione, quam filij eius. Quod igitur Christus iubet, & veteres scriptores dicunt: Eucharistiam sacrificium esse, peruersè exponitur ab his, qui dicunt, esse tantum commemorationem, & prædicationem eius, quod Christus in cruce peregit, sacrificij. Et re vera commemoratio illius sacrificij coram Deo, & representatio. Concilium Ephesinum in epist. ad Nestorium. Adnuntiantes enim secundum carnem mortem unigeniti filij Dei, &c. incruentam celebramus in ecclesijs sacrificij servitutem: loquitur autem apertè de hoc Sacramento, cum statim de sumptione addat: Sic etià ad mysticas benedictiones accedimus. Alexander primus in Epistola prima ad omnes Orthodox. Ipsa veritas nos instruit calicem, & panem in Sa-

cra-

cramento offerre, quando ait: Accipit Iesus panem, &c. Et post parum: nihil enim in sacrificijs maius esse potest, quam corpus, & sanguis Christi, nec vlla oblatio hac potior est, sed hæc omnes præcellit, & parum antea: crimina, inquit, & peccata, oblati his Domino sacrificijs, delentur. Innumera sunt patrum apertissima, de hoc sacrificio, oblatione, & fructu eius, testimonia, videatur interim Epist. 8. Cyprianilibro secundo: Vbi multa de hoc, & inter cetera ita inquit: Nam si Iesus Christus Dominus, & Deus noster, ipse est summus sacerdos Dei patris, & sacrificium Deo patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, ille sacerdos vice Christi fungitur, qui quod Christus præcepit, imitatur, & sacrificium verum, & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri, &c. si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse. Nec omittendus Augustinus in decimo de civitate Dei, vbi cap. tertio, quarto, & quinto, de ratione sacrificij diligenter disputans, cap. sexto, opera misericordiae sacrificia esse docet, & tandem totam congregationem, societatemque sanctorum, verum esse sacrificium, & uniuersale Christianorum, quod Christus simul cum se offerret in cruce, tanquam caput etiam obtulit, vltimo addit hæc verba, quod Sacramento altaris fidelibus noto frequentat Ecclesia, vbi ei ostenditur, quod in ea oblatione, quam offert, ipse offeratur. Qua oblatione non dubitamus propitiationem, & meritum Christi applicari viuis, & mortuis, quare maior est error asserentium, sola prædicatione Euangelij, & dispensatione Sacramentorum applicari meritum Christi nobis, nam vt dictum est, omni Christiano opere ex gratia, scilicet, prodeunte applicatur nobis meritum passionis Christi, & hæc oblatio dispensatio etiam est Sacramenti.

CATHOLICA.

menti. Nulla igitur scripturæ auctoritate, aut ratione probari potest, sola prædicatione Euangelij, & dispensatione Sacramentorum, quæ in hunc usum sunt instituta, meritum Christi applicari nobis, & sola fide accipi, quum re vera omni pio opere, quod scilicet ex fide, & charitate, atque ideo ex Diuina gratia sit, conformemur Christo, facientes scilicet voluntatē Patris. Ex hac verò ad Christum conformitate, prouenit nobis participatio meritorum eius. Ad Romanos 8. Cohæredes, inquit, Christi, si tamen & compatimur, vt & glorificemur, quòd ait cohæredes Christi, nōne apertè significat, participatione meritorum eius nos peruenire ad beatitudinem? Sed tamen addit: Si tamen compatimur, vt significet meritum eius participari hac configuratione, quæ autem compassio proprior, quàm ea, de qua ibidè: Si spiritu facta carnis mortificaueritis. & iterum: Mortificantes membra vestra, quæ sunt super terram. Idem etiam 2. ad Timoth. 2. inquit, postquam de suis vinculis dixerat: fidelis sermo, quia si cōmortui sumus, & conuiuemus, si sustinebimus, & cōregnabimus. Ad Philip. 3. Propter Christum, inquit, omnia arbitror, vt stercore, vt Christum lucrificam, & inueniar in illo nō habens meā iustitiam, sed eam, quæ ex fide est, &c. Configuratus, inquit, morti eius, si quando occurramus ad resurrectionē, quæ est ex mortuis. Vera igitur iustitia illa per configurationem Christi habetur, atq; ita per ea, quibus ei conformamur. In priuata igitur, quam vocant, Missa, cū nihil omittatur eorum, quæ ad veritatem Sacramenti pertinent, ipsa primo utilis est omnibus modis ipsi celebranti, & toti Ecclesiæ, quatenus in ea & passio, atque merita Christi offeruntur Patri, simul etiā orationes, atque pia desideria totius Ecclesiæ, quæ non dubium est magnæ efficacit̃

CATHOLICA.

63

ficaciæ esse apud Deum, & valde vtilia fidelibus. Est etiā & alius illorum error, qui errorem iudicant, verba consecrationis tacitè proferre, & lingua vulgo ignota, nec enim ad huius Sacramenti perfectionem vnquam Ecclesia iudicauit necessarium esse tunc prædicari populis mortem Christi, cū consecratur, quod alijs locis, & temporibus in Ecclesia fieri debet, cū populus instruitur. In celebratione verò huius Sacramenti agitur præcipuè, & necessariò vt placetur Deus, consecratione Sacramenti, & oblatione, cæterisque orationibus, & sumentes sanctificentur. Est & alius horum iudicantium alienos errores error, quòd sit illicitum vnā Eucharistiæ partem seruare, & circumgestare ob specialem cultum. Primò enim reseruari Eucharistiam pro necessitatibus infirmorum, aut alijs quibusuis populi vtilitatibus, antiquissima est consuetudo Ecclesiæ, & si fortè aliquando, aut alicubi factum non fuerit. Adorandum verò esse Christum in hoc Sacramento, certa ratio, & patrum auctoritas docet: Quare cū deuotioni populi id expedit, circumgestari sanctum est, nec est cultus Dei sine certo verbo. Concilium Nicænum cap. decimoquarto, aut secundum aliam translationem 18. vt superius adduximus. Refert abusum quendam in dispensatione Sacramenti, & permittit diaconis, vt si non fuerit præsens Episcopus, vel presbyter, ipsi sacram communionem proferat, & edant: constat itaque asseruatam fuisse, nec hoc concilium reprehendit, cuius rei multa sunt testimonia in antiqua Ecclesia. Augustinus in Psalm. 98. Exponens hunc versum: adorate scabellū pedum eius, ita de Christo dicit: inuenio, inquit, in Christo quomodo terra sine impietate adoretur, suscepit enim de terra terram, quia caro de terra est, & de carne Mariæ carnem accepit, & in

CATHOLICA.

& in ipsa carne hic ambulavit, & ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit, nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adorauerit, inuentum est quem admodum adoretur tale scabellum pedum Domini, & non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando.

DE ORDINE. VVIR TENBERG.

NON est obscurum è sacris literis, quod omnes verè Christiani consecrentur in Baptismo, per Christum filium Dei, in spirituales sacerdotes, & debeant semper offerre Deo spiritualia sacrificia. Nec est obscurum, quod Christus instituerit in Ecclesia sua ministros, qui adnuntient Euangelion suum, & dispensent Sacramenta eius. Nec permittendum est cuiuis, quamuis spirituali sacerdoti, ut sine legitima vocatione usurpet publicum ministerium in Ecclesia. Dicit enim Paulus: Omnia honestè, & decenter fiant inter vos. Et iterum: Nemini citò manus imponas. Quare non inutile iudicamus, ut fides eorum, qui ad publicum ministerium Euangelij accessuri sunt, quasi gradibus quibusdam probetur. Et inter ministros Ecclesiae suum seruare ordinem, videtur concordiam nonnihil adiuuare. Sed sacra scriptura non tradit, quod Christus instituerit in Ecclesia sua tales sacerdotes, qui sint mediatores inter Deum, & homines, & placent iram Dei erga homines sacrificijs suis, aut applicent meritum Christi viuis, & mortuis, absque predicatione Euangelij, & dispensatione Sacramentorum. Nam si de summo, & vero mediatore dicendum est, vnus solus est mediator inter Deum & homines Iesus Christus filius Dei. Si loquendum est de mediatore precatationis, vnusquisque pius factus est alterius mediator per Iesum Christum, propterea quod officium exi-

git,

VVIR TENBERG.

64

git, ut alter alterius salutem precibus Deo commendat, quod etiam officium tunc singuli exercent, cum recitant ex fide orationem Dominicam. Sin loquendum est de sacrificijs expiantibus peccata nostra, & placantibus iram Dei, tunc vnum solum est sacrificium expiatorium, & placatorium, videlicet sacrificium Domini nostri Iesu Christi, quod semel in cruce peractum est. Et sicut Christus non amplius moritur, mors illi amplius non domi-

SCHOLIA CATHOLICA.

- a Sed sacerdotium illud, mysticum est, non proprium.
- b Merito spiritualia, hoc est, mystica, sic enim omne bonum opus in Deum ordinatum sacrificium est: sed sunt quaedam peculiariter religionis opera, & sacrificia, Ecclesiae nomine ab his, qui in hoc munus deputati sunt offerenda, & hi sunt proprii Ecclesiae sacerdotes, iuxta illud Pauli: omnis nuncque pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quae sunt ad Deum, ut offerat dona, & sacrificia pro peccato, quos Ecclesia semper habuit ex traditione procul dubio Apostolorum, ut habes in assertionem catholicam.
- c Non solum vocatione, sed & collatio potestatis, signis visibilibus, ut ab Ecclesia fit, est necessaria, in quo ratio Sacramenti, Ordinis consistit.
- d Gradus in ordine Ecclesiastico sunt ex institutione procul dubio Christi, non solum ad probandos ministros, sed etiam ad ornatum, & decorem ministeria Ecclesiastica implenda, pro dignitate videlicet eorum, nec hoc est priuatum iudicium, sed totius antiquae Ecclesiae sensus.
- e Imò ex institutione Christi id est necessarium, qui suam Ecclesiam sapientissimè, & potentissimè edificauit, hi verò omnia referunt ad humanum iudicium, quasi nihil in Ordine sit Diuinae institutionis.
- f Tradidit quidem scriptura Ordinationem Apostolorum, sed apertissimè eam habet totius Ecclesiae consensus ab Apostolis usque ad nos.
- g Hoc superius dixerunt, ubi respondimus, & probatum est sacrificio altaris applicari meritum Christi viuis, & mortuis.
- h Pius quilibet mediator est, cum orationibus agit, sed necessarij sunt publici mediatores, qui id ex officio habeant, ut sint ministri Christi, sicut Paulus inquit, Dei adiutores: & hoc institutum à Christo Ecclesia semper docuit.
- i Fatemur, sed illud ipsum nos quotidie offerimus, iuxta catholicam Ecclesiae sententiam.

natur

VVIR TENBERG.

natur: ita hoc sacrificium eius nunquam amplius peragetur: sed efficit vnica oblatione, quemadmodū Epist. ad Heb. scribit, perfectos in perpetuum eos, qui sanctificantur, si loquēdum est de cōmemoratione huius vnus sacrificij, & de applicatione meriti eius, tunc publici ministri Ecclesiæ, qui Euangelion publicè docent, & Sacramenta iuxta institutionem Christi dispensant, non solum faciunt veram, & rectam expiatorij sacrificij cōmemorationem, sed etiam applicant, dispensatione sua, meritum huius sacrificij omnibus ijs, qui Euangelion, & Sacramenta fide accipiunt. Non possumus igitur videre, quis sit vsus id genus hominum in Ecclesia, qui in hoc instituuntur, vt habeant potestatem sacrificandi pro viujs, & mortuis. Paulus cum ad Corinth. & Ephesi. recenseret officia, & ministeria ad ædificationē, & cōseruationem Ecclesiæ necessaria, recenset Prophetas, Apostolos, Euangelistas, Pastores, Doctores & id genus alios: sed in hoc catalogo nullam prorsus facit mentionem talium priuatorum sacerdotum, qualium nunc plenus est orbis. Nec verisimile est, quod omisisset hoc genus sacerdotum, si vel Christus instituisset, vel Ecclesiæ utile, ac necessarium esset. Et scribit Paulus Episcopum oportere esse didacticon, docet autem Hieronymus eundem esse Episcopum, & presbyterum. Quare manifestum est, quod nisi presbyter instituatur in Ecclesia ad ministerium docendi, nec presbyteri, nec Episcopi nomen rectè usurpari queat.

SCHOLIA CATHOLICA.

- a Cruentè, & vt à Christo actum est, fatemur, at verò à nobis illud ipsum in cruentè offertur, nec aliquid addimus eius perfectioni.
b Sed etiam ostensum est applicari hoc meritum Christi oblatione, & precibus Ecclesiæ.
c Miramur certè, quod hoc nō apertè videritis in lectione antiquorū, quos

SCHOLIA CATHOLICA.

65

quorum pauca citauimus in assertione catholica, & certè in antiquorū lectione nihil frequentius, quàm oblatio altaris, & potestas offerendi. d Constat Paulum multa verbo tradidisse, & hæc maxime, quæ ad ministeria Ecclesiæ pertinent, conueniens fuit non omnia scripta relinquere: pauca quidem dixit Apostolus de Sacramento Eucharistiæ, & postea addidit, cetera cum venero disponam, & de ordinatione sacerdotum non desunt multa in Paulo.

e In doctrina sua non dubitamus eum non omisisse: sed scripsisse non erat opus, plura docebat discipulos, quàm scripserit, vnde dicit Timotheo, quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere, 1. Timothee. 2.

f Sed certum est ordine, & gradu non esse eundem, vt in catholica assertione habes, quanquam nomina fuerint promiscua, vt Hier. dicit. g Habes in assertione catholica, alios etiam esse actus presbyteri, & Episcopi, & ipsi consentiunt dispensationem Sacramentorum ad eos pertinere, hæc verò aliud sunt à doctrina.

DE ORDINE. CATHOLICA.

Docet apertè vera fides, & ex sacris literis, & traditione Apostolorum, cui consonat etiam naturalis ratio, quod etsi Christiani omnes spirituales, & mystici sacerdotes ex vnguento capitis fiant, vt hostias spirituales Deo offerant, tamen veri, & proprii sacerdotes, soli illi sunt, qui ab Episcopis Sacramento Ordinis initiati legitime sacerdotij potestatem acceperunt. Non solum itaque publica vocatio, & probatio futurorum ministrorū quibusdam quasi gradibus facta, necessaria est, vt in Ecclesia ministerijs Christi fungantur: sed Ordinatio, quæ impositione manus, & Sacramento perficitur, vt tota semper testata est Ecclesia, ex traditione procul dubio Apostolorum. Sub sacerdotibus verò alios esse inferiores ministros scilicet hostiarios, lectores, exorcistas, acolytos, diaconos, subdiaconos, super sacerdotes verò Episcopos, certa fides credit, qui omnes non solum hoc ex gente concordia, aut aliqua politica ratione scilicet ex Sacramento Ordinis quod suscipiunt, & institutione Chri-

K

sti

si diuersas habent in Ecclesia functiones, atque potestates. Tradidit quidem sacra scriptura, quantum satis est, vt agnoscant obedientes filij institutos à Christo sacerdotes, qui perpetuò in Ecclesia mediij sint inter Deum, & populum, & offerant sacrificia ad placandam Dei iram, & meritum Christi viuus, & mortuis applicandum. Docet quidem hoc scriptura, sed distinctius, & manifestius tota semper id tenuit Christiana Ecclesia, ex traditione procul dubio Apostolorum. Nec dubium est, sub vno illo summo mediatore Christo, necessarios esse alios mediatores, qui ex officio vices eius gerat, sicut sub illo summo pastore speciales pastores, dicente ipso: Pisce oues meas: Et tibi dabo claues regni caelorum: Et quidquid solueritis super terram, &c. Ita enim perfectio, & decor Ecclesiae exigut, & huius vitae status, vt plura ministeria à pluribus, & publica à publicis ministris fiant. Licet etiam vnicum illud sacrificium Christi expiatorium sit omnium peccatorum, nec opus sit aliud iam offerri, ipsum tamen commemorari, & representari Patri in Ecclesiae persona, & nomine, per eos, qui vices eius gerunt, necessarium esse ostendunt quotidiana peccata nostra, & natura ipsa, atque status huius vitae, quae vt sacrificent Deo, qui nondum ad eius apertam visionem peruenerunt, postulant, & tota Ecclesia, quae est vnicum fundamentum fidei, hoc tenet. Qui igitur videre non possunt, quis sit usus sacerdotum in Ecclesia, aut potestas sacrificandi pro viuus, & mortuis quorsum detur, aduertant ne, aut propriae sententiae amore nolint, quod contra eam est, aliquid videre, aut pluris se, quam totam Ecclesiam, faciant. Obedientes filij Ecclesiae, & sacerdotalis Ordinis, & reliquorum omnium, & ipsius Sacramenti Ordinis necessitatem, virtutem

tem, & institutionem, testimonio certissimo omnium patrum agnoscunt, ex quibus pauca haec sufficere possunt. Ambrosius quarto capite Epistolae ad Ephesios. Nam primo Ambrosius in locum illum quarti capitis ad Ephesios, quem ipsi citant, nomine Apostolorum, Prophetarum, Euangelistarum, Pastorum & Magistrorum, quae ibi ipse legit, intelligi docet sacerdotes, & reliquos ministros, per Apostolos scilicet Episcopos, per Prophetas primos post illos, qui Ordo, inquit, potest esse presbyteri, pastores, inquit, possunt esse lectores, qui populum lectionibus saginent, ubi & de diaconis, & de ratione quare Paulus haec non ita explicitè docuerit loquitur. Vanum itaque est argumentari, Paulum non omisissurum sacerdotes in illo loco, si Christus eos instituisset. Est Concilium Carthaginense quartum, testis locupletissimus omnium Ordinum Ecclesiasticorum, & rationis, qua illa traduntur sub signis videlicet, & verbis, quod concilium ducentorum & 14. Episcoporum fuit, inter quos Legati Sozimi Papae & Augustinus etiam interfuerunt, in quo ante mille annos illa omnia vt certissima & in Ecclesia absque controuersia recepta tradita sunt. Et Augustinus ipse libro secundo contra epistolam Permeniani, cap. decimotertio de baptismo, & potestate baptizandi ita inquit: Vtrumque enim Sacramentum est, & quadam consecratione vtrumque homini datur, illud cum baptizatur, istud cum ordinatur. Ideo in Catholica vtrumque non licet iterari, vide apertissimam fidem Ecclesiae de Sacramento Ordinis. Ambrosius etiam prima ad Timotheum quarto exponens illa verba: noli negligere gratiam, quae data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyteri. Prophetia inquit est, qua eligitur quasi doctor futurus idoneus, manus vero impositio

CATHOLICA.

nes verba sunt mystica, quibus confirmatur ad opus electus, accipiens auctoritatem teste conscientia sua, vt audeat vice Domini sacrificium Deo offerre. Hac non fingebat Ambrosius, sed vt certa in Ecclesia docebat. Qui igitur ad ministerium docendi institui solùm Episcopos, & presbyteros dicunt, contradicunt Ecclesie, & testimonio Ambrosij. Qui verò presbyteri, & Episcopi non esse diuersos gradus in Ecclesia asserunt, inter hæreticos Arrianos ab Augustino computantur, libro de hæresibus.

DE CONIUGIO. VVIRTEMBERG.

Fatemur coniugium esse genus vitæ diuinitus institutum, & approbatum, & esse mysterium, hoc est, vt vulgò exponi solet, Sacramentum magnum in Christo, & Ecclesia, sicut Paulus ait. Et quia Christus palam affirmat Coniugium pertinere ad hoc præsens^b seculum, administratio autem huius seculi constat politicis legibus recta, & probabili ratione constitutis. Idcirco docemus, quòd liceat coniugium inire in his gradibus consanguinitatis, & affinitatis, quos politicae leges, quæ sunt Diuinæ ordinationes, permittunt. Docemus etiam, quòd iuuenes non debeant temerè sine parentum suorum auctoritate Coniugium inire, & quòd Coniugium temerario, & illegitimo iuuenum consensu, absque eorum, in quorum potestate sunt, auctoritate contractum, non dum habendum sit ratum. Et si enim nonnulli casus sunt, in quibus licitum est Coniugium absque parentum con-

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Est re vera propriè Sacramentum illorum septem vnum, quæ Ecclesia habet tanquam signa, & instrumenta diuinæ gratiæ operantis, quæ salutaria sunt eidem Ecclesie suæ, vnde externa illa, quæ cum significatione supernaturalis alicuius gratiæ effectum habent, naturam omnem excedentem, Sacramenta merito appellantur, nec de hoc prudens aliquis meritò contendere debet: Coniugium verò legitimè contractum à

fide

SCHOLIA CATHOLICA.

67

fidelibz, tantam indissolubilitatem habet, vt neque consensu eorum, neque omnium legum auctoritate dissolui possit, quod non nisi à Deo supra naturam operante est, dicente ipso Christo: quod Deus coniunxit, homo non separet, id quod ex significatione alicuius supernaturalis rei, coniunctionis scilicet Christi, & Ecclesie. Paulus docuit esse. Nihil itaque est, quod desit matrimonio de ratione Sacramenti, quod Aug. in lib. de bono coniugali diligentissimè probat, vide cap. 7. & 13. Vbi de indissolubilitate coniugij ita inquit: quod nequaquàm puto tantum valere potuisse, nisi alicuius rei maioris ex hac infirma mortalitate hominum quoddam Sacramentum adhiberetur, & 24. ca. Bonum igitur, inquit, nuptias rû per omnes gètes atq; omnes homines in causa est generandi, & in fide castitatis, quod autem ad populum Dei pertinet, etiam in sanctitate Sacramenti sit, &c. Quæ ibi latius loquitur, nec sanctitas, & effectus gratiæ coniugio deest: de qua Paulus etiam, sanctificatur, inquit, vir infidelis per mulierem fidelem, non enim dubitamus dari gratiam, quæ sanctè vtantur matrimonio Coniuges, quæ ideo hoc loco annotanda duximus, vt agnoscas, optime lector, quàm rationabiliter, & quàm veraciter Sacramentum matrimonium vocemus, & quàm indignè de eo loquantur ij contentes in hoc loco, postea vero cum de cœlibatu loquuntur, sanctius est illo matrimonium, sed de hoc ibi.

^b Non autem ad hoc tantum seculum pertinet matrimonium, quasi seculariter solùm sit transigendum, sed pertinet ad vitam in hoc seculo iuxta religionem Christianam, & ad eam propagandam, & conseruandam, transigendam, nam etiam Ecclesia cursum suum agit in hoc seculo, alioqui etiam baptismus, poenitentia, & cætera Sacramenta, & omnes Ecclesiasticæ functiones ad præsens seculum pertinerent, etiam diceret Christianus, in cælo nec baptizant, nec baptizantur, igitur non magis matrimonij Sacramentum est subtrahendum Ecclesie, quàm alia Sacramenta, quare igitur amici plus in eo secularibus legibus, quàm Ecclesiasticis permittitur, vt gradus tantum consanguinitatis, quæ politicae leges inhihent, excipiant, cur nò etiam & in illis gradibus contra hi non potest, quos Ecclesiasticæ leges prohibent, & similiter de alijs impedimentis: Cur Ecclesiam hoc iure priuatis, quod huc vsque leges ipsæ politicae, & principes omnes permiserunt?

^c Oportebat igitur distingui, quando habendum sit ratum, quando nò, quum fateamini in nonnullis casibus esse licitum. At verò Ecclesia, quæ in ijs pro tempore multa mutauit, nunc iudicat liberum consensum inter eos, qui contrahere possunt, sufficere, etià in scijis parentibus, & clandestinè, quòd si aliquid sit mutandum, eius arbitrio relinquendum est, & certè multum pensanda sunt, quæ plurium exigunt consensum, & deliberationem.

K 3

sensu

VVIR TENBERG.

senſu contrahere, tamen non videtur facienda genera-
lis regula, quod quivis iuuenum conſenſus faciat con-
tractum matrimonij ratum, & clandestina matrimonia
ſimpliciter ſint approbanda. Non ſolum enim Diuinum
præceptum exigit, vt liberi honorent parentes ſuos, ve-
rùm etiam naturalis ratio iubet in contrahendo matri-
monio conſenſum a parentum requirere. Huc vocantur
etiam liberi legibus politicis. Et b extat decretum ponti-
ficis Euaristi, cuius hæc verba ſcribuntur, aliter legiti-
mum, vt à patribus acceperimus, & à ſanctis Apoſtolis, co-
rumq; ſucceſſoribus traditum inuenimus, non fit Con-
iugiũ, niſi ab his, qui ſuper ipſam fœminam dominatio-
nẽ habere videtur, & à quibus cuſtoditur, vxor petatur,
& à parentibus propinquieribus ſponſetur. Præterea nõ
dubitamus, quin qui ſunt verè honeſtatis amantes, ſen-
tiant Coniugium non tantum laicis, vt vocant, verum
etiam miniſtris Eccleſiæ liberum eſſe. a Dicit enim Epi-
ſtola ad Hebræos, honorabile Connubium in omnibus,
& thorus immaculatus. * Et Paulus probat Coniugiũ
in Epifcopo, & adfirmat prohibitionem Coniugij eſſe
ſpiritum erroris, & doctrinam Dæmoniorum. Eſt
enim hoc Pauli dictum exponi ſolet de Tacianis, &
Eneraticis, qui Coniugium nihil à ſcortatione differ-
re ſentiebant, tamen cum Coniugium prohibetur in

SCHOLIA CATHO-
LICA.

a Ita omnino ſentimus, requirendus eſt conſenſus parentum hone-
ſtus, & iuſtus, nec dubitamus peccare grauiter præter illum contrahen-
tes, ſed durum, & inhumanum conſenſum nonnunquam cum periculo
ſalutis animæ non eſt cur debeant requirere, propterea igitur quia du-
bium poterat eſſe quàm iuſtè parentes non conſentiant, Eccleſia fauet
filijs

SCHOLIA CATHOLICA.

68

filijs legitimam ætatem habentibus, & leges etiam ipſæ ſeculares.
b Fatemur hoc eſſe Euaristi decretum, ex hoc primum aduertant iſti
conſistentes, Apoſtolos, & Epifcopos multa de matrimonio ſtatuiſſe,
cum ipſi ſuperiũs legibus politicis omnia tribuant, deinde obſeruandũ
traditionem hanc Apoſtolorum, quoniam ad gubernationem Eccleſiæ
ſiæ pertinebat, non ad fidem, neque ad Sacramentorum integritatem
mutari potuiſſe, cum id magis videretur conuenire moribus, tale eſt de
ſanguine, et ſuffocato non comedentis, quod cum Apoſtoli ſtatuiſſent,
ob concordiam Iudæorum, & Gentium, poſtea merito mutari debuit,
ne legalibus videremur teneri. Non deſunt multi prudentes, qui cupe-
rent reſtitutum hoc decretum Euaristi, & quidem non pauca inde vi-
dentur vtilitates ad tranquillitatem animarum poſſe ſequi, ſed nec deſ-
ſunt pericula, expectandum itaque iudicium Eccleſiæ.

c Poſt emiſſum votum caſtitalis, & Eccleſiæ ordinationem, non admit-
tentis aliter ad tres ſacros ordines niſi id permittentes, quam conſtat an-
te mille annos in Eccleſia fuiſſe teſtantibus Auguſt. Hiero. & Amb. &
antiſſimis multis concilijs, nullus, niſi qui velit pertinaciter omni ra-
tioni repugnare, poteſt ita ſentire.

d Idem etiam dicit de viduis, quæ caſtitalitatem promiſerant in Eccleſia,
quæ cum luxuriatæ fuerint, in Chriſto nubere volunt, habentes dam-
nationem, quod primam fidem irritam fecerunt, 1. ad Timoth. 5. In om-
nibus ergo honorabile connubium, &c. qui illo ſanctè vtuntur, non
qui primam fidem irritam fecerunt.

e Quanquam illud magis ad prohibitionem digamiei pertineat, tamẽ
etiam ſi hoc admittamus, modeſtè tantum dici poteſt, Paul. non im-
probat Coniugium ante Epifcopatum contractum, nam illud probare
quaſi conueniens Epifcopo, quod hoc verbum ſignificare videtur, &
multi ex vobis docent, quomodo poteſt Paulus eũ hoc diſſuadeat om-
nibus? cum dicat, volo omnes eſſe ſicut meipſum, quomodo probat in
Epifcopo, quem vult totum liberum à ſecularibus negotijs, intentum
eſſe orationi, atque lectioni? quomodo, inquam, probat matrimonium,
de quo dicit, quod qui cum vxore eſt, quæ ſunt mundi cogitat, quomo-
do placeat vxori, & diſmiſus eſt, & ibidem, tribulationem carnis patien-
tur ego autem vobis parco, & denique quod aperte docet impedimen-
tum eſſe Dominum obſecrandi, & a cuius actu ſeparari docet ipſos de-
bere coniugatos ad tempus, vt orationi vacent.

f Verum eſt, doctrinæ Dæmoniorum Paulum dicere in vniuerſum
prohibere Coniugium, non poſt votum, vel alicui ſtatui, & ordinimis
nus conueniens iudicare: vtrumque enim ipſe Paulus fecit, vt ex pro-
ximis citatis auctoritatibus patet.

K 4

decre-

decretis a pontificijs, prohibetur ijs rationibus, quibus coniugium non in vno tantum hominum genere, sed in vniuersum damnatur. Allegatur enim illud Levitici: Sancti estote, quia ego sanctus sum, & illud Pauli: non in cubilibus, ac lasciujs. Et iterum: Qui in carne sunt, Deo placere non possunt. Cum autem hæc scripturæ dicta ad omnes pertineant, certè arcerent omnes pios à Coniugio, si rectè ad prohibendum sacerdotibus Coniugium accommodarentur. Sed speramus bonos quosque viros de Coniugio honestius sentire, & quod in Ecclesia ipsa probant, in ministris eius non improbare, præsertim cum manifesta sint exempla recentis, & adhuc purioris Ecclesiæ, in qua & Apostolis, qui fuit summus gradus in Ecclesia, et Episcopis licuit habere vxores. Hoc autem ita intelligendum existimamus, quod ministris Ecclesiæ non solum licuerit Coniugio ante ordinationem inito vt, verum etiam Coniugium post ordinationem inire, cuius sententiæ haud obscura argumenta extant. Nec ob stare debet votum castitatis, propterea quoddam tale votum humana superstitione, sine auctoritate verbi Dei, & contra fidem susceptum, non agnoscatur à Deo, & in Coniugio sua quoque sit castitas, vt, qui cum antea castitatem vouerit, vxorem in Domino du-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Scimus de Sirio, & Innocentio primo eos hæc dicere, qui ante mille annos non nouam legem cœlibatus ediderunt, sed editam iam in Ecclesia ostendentes abusus contra eum damnant. Extat de hoc epistola Sirij ad Himerium Tara. 7. & Innocentij ad Vidricium Rotomagensis Episcopum cap. 9. & ad Exuperium Tolosanum cap. 1. his locis sancti illi pontifices vsum matrimonij ministris Ecclesiæ ea ratione prohibent, quæ legis veteris sacerdotibus accessus ad domus proprias tempore vicis suæ prohibebatur, & ea etiam, quæ Paulus coniugatis dicit, vt ad tempus abstineant, vt orationi vacent, inter hæc vero verbū illud, sancti estote, de speciali sanctitate sacerdotum intelligentes, ad prohi-

prohibitionem matrimonij referunt, & quædam alia in reprehensionem eorum, qui contra votum fecerant loquuntur, sed nihil est, quod non possit optimè in bonum interpretari, non est autem boni viri maiorum verba magis velle carpere, quàm exponere. Hæc verò cœlibatus lex: & à quo tempore, & à quibus sit vnius concilij testimonio duntaxat ostendamus, ita igitur in concilio Carthaginensi cap. 1. dicitur: Austerius dixit, cum in præterito concilio de continentia, & monogamia castitatis tractaretur, gradus isti tres conscriptione quadam castitatis per consecrationes annexi sunt Episcopos, presbyteros, & diaconos, ita placuit, & post quædam alia, vt quod Apostoli docuerunt, & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus, ab vniuersis Episcopis dictū est, omnibus placet, &c. Et rursus ab omnibus dictum est, placet vt ab omnibus, & in omnibus custodiat, qui altari seruiunt, pudicitia: quare ergo, ijs tam apertis testimonijs omisis, detrahitis amici, cœlibatui?

b Ad omnes pertinent carnis delectationibus illicitè vacantes, contra quos sancti illi pontifices loquebatur, qui scilicet post susceptos sacros ordines, & votum non continent, isti non sunt sancti, sunt in lasciujs, & in carne, hoc deterret omnes pios à Coniugio post votum castitatis, & ostendit inter sacros actus ab vso Coniugij abstinendum esse.

c Non improbamus in ministris, nisi post votum castitatis voluntariè ab ipsis emissum, & dicimus ideo hoc votum in Ecclesia requiri à ficientibus sacros ordines, quia conueniens est ministerijs Ecclesiasticis.

d Hoc omnino negamus, sed sunt apertissima contra hæc omnia testimonia in Clemente ipso discipulo, & successore Petri: Epistola 1. est apertum cœlibatus testimonium, quod si post ordinationem, inquit, ministro altaris contigerit proprium inuadere cubile vxoris, sacrarij nō intret lumina, &c. idem etiam in pluribus alijs illorum temporum pontificibus ostenditur.

e Votum facere de re Deo grata nec est contra fidem, nec sine verbo, ideo nec humana superstitione. Vouete, inquit Psalmus, & reddite Domino Deo vestro, &c. Esaias, vota vouent Domino, & soluent, exemplum sunt multa sanctorum patrum de gratissimis Deo votis. Iacob vouit decimas, Dauid templi ædificationem, castitas verò, & cœlibatus, atque virginitas quàm sint Deo grata Paulus ostendit, qui matrimonio, inquit, iungit virginem suam, bene facit, qui nō iungit, melius facit. Et rursus: dico autem non nuptis, & viduis, bonum est illis si sic permanferint, sicut & ego: quod si non se continent, nubant, denique ipsum votum probat, quum, vt superius vidimus, damnat eas, quæ primam fidem irritam fecerunt, quare miramur si possunt prudentes, & honesti verba hæc vestra sustinere.

cit, castitatis votum verè adimpleat. Cum igitur manifestu sit verbu Dei, de honestate coniugij, manifesta sint exempla Apostoloru, & Episcoporum recētis Ecclesiæ, manifesta sit imbecillitas humanæ naturæ, manifesta sint pericula coelibatus, manifesta sint offendicula, quæ præbent impuri sacerdotes, omnino futurum speramus, ut hi qui ad gubernacula Ecclesiæ sedent, non pergant hæc de Coniugio sacerdotum constitutionem seueriter tueri, & propugnare, sed clementer interpretari. Sic enim fiet, ut & minora, & pauciora sint in Ecclesia offendicula, & multorum optimorum virorum conscientijs succurratur. Speramus etiam futurum, ut optimi quique Episcopi, & principes permittāt ijs, qui ab adulteris suis coniugibus legitimo diuortio separati sunt, ea contrahendi iterum in Domino coniugij libertate uti, quam concessit eis filius Dei Dominus noster Iesus Christus Matthæi quinto, & decimnono.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Si castitatem coniugalem voueat verum est, si verò omnimodam continentiam à contactu feminæ, quis non videat falsum esse? itò quis non videat hæc dicere esse nolle intelligere, nec ut alij intelligant.
b Quod hoc speretis non reprehendimus, quandoquidem vobis forte hoc vtilius videtur, nec negamus Ecclesiam posse in futurum hanc constitutionem aut mutare, vel parum laxare, sed Ecclesiam præuenisse, & propria auctoritate fregisse vota, & damnare quod sanctissimu semper iudicatum est, & contra legem Ecclesiæ fecisse, quis non reprehendet, & quis non inuerecundie arguet post tantam temeritatem, & posteaquam debacchati estis in sanctos pontifices, nunc tam comptis verbis clementiam sperare ab ijs, qui sedent ad gubernacula Ecclesiæ, quos opere reiecit, & contemnitis, amici hæc est via mulieris adulteræ, quæ comedit, & tergens os suum dicit, non sum operata malum.
c Certè & in contrarium, non pauca offendicula, & pericula inueniuntur, si omnibus ministris concedatur matrimoniū, maximè cum multi vestrum velint curam administrationis rerum temporalium ab ijs auferri, quæ certè minor est, quam onera matrimoniij, quare nos hoc dicimus egere examinatione diligenti yniuersalis Ecclesiæ.

d Hanc

a Hanc illi non solum non concessit, sed abstulit omnino, nam ommissis alijs verbis Evangelistarum Lucas sic aperte dicit cap. 16. Omnis qui dimittit uxorem suam, & aliam ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro duxerit mœchatur, vide quæ in catholica assertionem allata sunt.

DE CONIUGIO. CATHOLICA.

CONstitetur vera, & catholica fides, Coniugium inter Christianos non solum officium esse naturæ, & genus vitæ politicæ, atque ciuilis, & mysterium quoddam, ut Paulus dicit, ad Christi, & Ecclesiæ coniunctionem pertinere: sed propriè, & verè legis nouæ Sacramentum visibile, scilicet signum gratiæ Dei in eo operantis per naturalem quidem voluntatem contrahentium, sed supra omnem naturam inseparabile vinculum, & ad id seruandum, rectèque eo vtendum conferentis auxilium. Itaque non inter res præsentis seculi, & temporales tantum coniugium est censendum, ut alij legitimi humani contractus, sed est etiam gratiæ Christi instrumentum, prærequirens quidem, quæ legitimè humani contractus sunt, atque ideo fatemur, in eo Reipub. humanæ, leges plurimum posse, plus Ecclesiasticas omnes: tamen hæc leges sub illa prima naturali in prima creatione indita, & sub Euangelica eam reformante, cum dicit, quod Deus coniunxit, & c. & Apostolicis literis ampliùs explicata, ita sunt constitutæ, ut contra has nihil illæ possint: sed præter eas non nihil, quantum scilicet illis consonat, & saluti hominū expedit. Docet igitur catholica fides, quod in coniugio, cuius ordinatio maximè ad Ecclesiæ gubernationem pertinet, multa mutari addi, vel tolli possunt per Ecclesiam, prout moribus, & temporibus magis videbitur expedire, vnde olim multò restrictior fuit facultas contrahendi inter consanguineos, & affines, nec desunt, quibus videatur remittenda esse multa ex rigore præsentis, qui proculdubio minor est, quam antiquæ Ecclesiæ,

clēſiæ: ſed in ijs omnibus nouerunt obedientes filij, & qui modēſtē ſapientes ſunt, expectandum eſſe iudiciū Eccleſiæ, apud quam cū requiſiti fuerint, & non nunquam antea licet modēſtē ſenſum ſuum proferre, nunquam tamen paſſim in vulgus obloqui, aut reprehendere leges maiorum. Inter hæc igitur eſt, quod de matrimonio à iuuenibus ſine parentum conſenſu contracto dicitur: ſimiliter & de clandestino, in quibus olim Eccleſia diſtrictiorem ſeruauit regulam, ab Apoſtoliſ ſcilicet receptam: ſed quia ad regimen pertinebat populi, mutata deinde fuit, vt videlicet infirmitati, & ſaluti proſpiceretur iuuentutis, & nonnunquam verecūdiæ. Itaque conſiderans Eccleſia, quod in his, quæ ad corpus pertinent, & propagationem naturæ, ipſum etiam ius naturæ, non vult filios omnino parentum voluntati ſubiectos eſſe, maximè ſi durior fuerit, conſiderans etiam nec animarū ſaluti conducere, vt nimium contra ingenium, & naturalem propenſionem, vel ſupra ætatem ad continentiam cogantur, & multa alia, quæ huius ſunt conſiderationis condeſcendit, vt ſi contraxerint inſcijs parentibus filij, non reſcindatur contractus, atque idem in clandestino matrimonio. Sed docemus peccare filios, qui in hoc iuſtæ, & honeſtæ voluntati non obediunt, ſicut qui clandestinè contrahunt, nec tamen propterea reſcinditur contractus, quia iudicat Eccleſia ſic melius conſuli honeſtati, & ſamæ mulierum. Verum eſt in vtraque parte non deeſſe inconuenientia, quare non facile eſt inter ea iudicandum. Coniugium præterea ſicut omnibus laicis, & clericis, quantum eſt ex Diuino iure, liberum eſt, ita eodem modo nulli eſt neceſſarium, ſed omnibus ſub concilio proponitur continentia, dicente Paulo: De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem

do.

do. Quare Eccleſia ſpiritu Chriſti, ex traditione procul dubio Apoſtolorum, ad maiores ordines non admittit, quibus coniugium placet, quique omnimodam continentiam non vouent. Neque Paulus iuxta ſaniorem ſenſum patrum coniugium, multò verò minùs vſum eius probat in Episcopo, ſed tatum digamiam damnat, coniugium verò damnare tanquam rem de ſe illicitam, ad doctrinas Dæmoniorum meritò dicit pertinere. Sed quod ipſum matrimonium, & vſus eius minùs conueniat ijs, qui ſpiritualibus lectionibus, & orationibus ſemper debent vacare, aut quàm minimè fieri poteſt, ab eorū intentione auerti, atque ad Sacramenta tractanda, & ad miniſtranda ſemper eſſe parati, ſatis ipſe oſtendit primæ ad Corinthios ſeptimo: Qui cum vxore, inquit, eſt, ſolicitus eſt quæ mundi ſunt, & cæt. Et mulier innupta, & virgo cogitat quæ Domini ſunt, & cæt. qua potiffimum ratione lex coelibatus conſtituta eſt ab Eccleſia, ex traditione Apoſtolorum, vt dictum eſt, non quod coniugiū damnet, aut laqueū iniiciat animabus, ſed vt ad id, quod honeſtum eſt, & facultatem præbet ſine impedimento Dominum obſecrandi, vt Paulus inquit, ſuos præcipuè miniſtros exhortetur. Nec vllis antiquæ Eccleſiæ exemplis oſtendi poteſt, vſum matrimonij conſeſſum eſſe Episcopis, & ſacerdotibus, multò verò minùs, quod licuerit poſt hos ordines inire Coniugium, ſed ſunt manifeſta in contrarium argumenta. Fatemur tamen hæc non ex ipſo iure Diuino, ſed conſuetudine, & conſenſu Eccleſiæ eſſe. Quare non mirum ſi vel alicubi, vel aliquando aut vſurpatum, aut permiſſum fuerit. Votum autem caſtitatis, quod Prophetæ & Chriſtus probant, Apoſtoli docuerunt, & tota Eccleſia ſemper in pretio habuit, humana ſuperſtitione ſine auctoritate verbi, & contra

CATHOLICA.

contra fidem suscipi, asserere, magis repugnat sanæ fidei, quam Ioviniani error. Et mirandum est, quod Christianus sensus votû castitatis rejciat, quod etiam Ethnici summopere probarût, nec negamus in Coniugio suâ esse castitatem, non tamen propterea, quia omnimodâ castitatem vouent licitè Coniugium inire possunt, vel in ipso eam seruare, vt constantissimè omnium patrum habet doctrina. At verò sicut proponere Ecclesiæ imbecillitatem humanæ naturæ, & consuetudinis vim, nostrorumque temporum pericula, & offendicula, quæ præbent impuri sacerdotes, vt ijs remedia adhibeantur, ea ratione, qua ipsi Ecclesiæ in timore Dei diligenter omnia expendenti videbitur, eiusque expectare iudicium, vt modestum, & sanum est: ita præsumptuosum nimis propriam sententiam mordicus in re tam dubia tenere: importunis. verò, ac ab omni modestia alienissimum tam petulantes de ijs definitiones in vulgi aures infundere. His verò, qui ab adulteris Coniugibus legitimo diuortio separantur, Christus nunquam libertatem aliud contrahendi concessit, imò omnem apertè ademit, sicut Augustinus ex Euangelij, & Apostoli verbis, in libro de adulterinis Coniugijs euincit, quod si aliquando, aut à quibusdam hoc in dubium fuerit versum, aut contrariû etiam vt verius habitum, hoc tamen iam ita certa definitione Ecclesiæ firmatam est, vt de eo nulli catholico liceat dubitare. Cuius testes sint nobis, primus, Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ, vbi & consuetudinis Romanæ Ecclesiæ perhibet testimonium, deinde Innocentius primus in Epistola ad Exsuperium Tolosanû Episcopum, denique concilium Mileuitanum, cui etiâ Augustinus interfuit cap. 17.

VVIR TENBERG.

DE EXTREMA VNCTIONE. VVIR TENBERG.

Fatemur Apostolos vnxisse ægros oleo, qui & corporalem sanitatem consecuti sunt. Fatemur etiam Epistolam, quæ inscribitur Iacobo, iubere presbyteros Ecclesiæ ad ægros vocari, vt vngat eos oleo, & orent pro ipsis ad consequendam sanitatem. Sed hæc tum vtiliter exercebantur, cum ministri Ecclesiæ adhuc ^a ornati erant dono, ægros corporaliter, & admirabiliter, sanandi. Postquam autem hoc donum confirmato Euangelio in Ecclesia desijt, res ipsa testatur hanc vñctionis caeremoniam ^b otiosè nunc, & inutiliter vsurpari. Qui enim nunc vnguntur, non solent ex hac vñctione corporalem sanitatem consequi, imò hæc vñctio non solet adhiberi, nisi his, de quorum corporali vita desperatum est. ^c Nec extat vllum verbum Dei, quod promit-

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Primo non tantum ad corporalem sanitatem, sed ad leuamen etiam, & consolationem animæ, & remissionem peccatorum Iacob. dicit vngendos infirmos, deinde ne tempore Apostolorum omnes presbyteri donum sanitatis habebant, & tamen Iacobus de omnibus presbyteris loquitur, magis itaque munus ipsum sacerdotale, quam miracula sanitatis respicit, nec tamen dubitamus multos infirmos hoc beneficio liberari, quum ita videlicet Diuinæ misericordiæ placet, si non aperto miraculo, saltem Diuinæ providentiæ ordine.

^b Imò res ipsa ipsi ostendit, magno fructu, & vtilitate eam tradi, multi conualuerunt corpore, multi animo suscepta vñctione, & quis nisi impius non agnoscat orationes Ecclesiæ, eius nomen ad Deum fufas, & lectiones sacras, & sacri olei vñctionem, quæ in hoc officio adhibentur, non esse & apud Deum vtilis, & infirmis ipsis consolatorias.

^c Vera Ecclesiæ regula hoc non habet, vt solum inungantur, de quorû vita desperatur, sed omnes etiâ, quibus probabiliter timetur imminere mortem.

^d Iacobus ipse apertè hoc dicit, cuius epistola canonica habetur in Ecclesia, nec est in ea, vnde colligi possit verba illa referenda tantum ad tempus ante diuulgationem Euangelij, sed Ecclesia ad totum tempus retulit, vt testimonijs fide dignis, & in assertione catholica probamus.

VVIR TENBERG.

at, diuulgato Euangelio Christi, externam vnctionem valere ad delenda peccata, & ad conferendam spiritualē, ac celestem sanitatem. Nihilominus tamen officiū exigit, vt ministri Ecclesiæ agrotos visitent, ac orent vnā cum Ecclesia pro salute eorum, & cōsolentur ipsos tam prædicatione Euangelij, quā dispensatione cœnæ Dominicæ. Hæc est verè pia vnctio, qua Spiritus sanctus efficax est in credentibus.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Fatemur hæc esse agenda, sed non propterea omittendum, quod Iacobus docet, & catholica Ecclesia probat, vbi vos in omni charitate admo-
nemus, vt consideretis, quod Apostoli multa eorum, quæ docuerunt, non scripserunt, ne videlicet irrisioni paterent infidelium, vt Dionysius cap. i. Ecclesiastica Hierarch. dicit, vnde & Paulus ad traditiones nos mittit, & non ad scripta solum, quod maximè in Sacramentis euenisse constat, quorum cognitio nec ad historiam pertinet, nec omnibus passim erat necessaria, sed pontificibus, & ministris. Re vera enim de Sacramentis rectè sentire non possumus, nisi consensum Ecclesiæ audiamus, meritò itaque Lucius tertius omnes, qui de Ecclesiæ sacris Sacramentis aliter sentire, aut docere non meruunt, quā sacra sancta Romana Ecclesia prædicat, perpetuò anathemate damnauit, quod dignum est, vt vobis timeatis, si vlla est Ecclesiæ auctoritas excōmunicandi, si vllus ordo, si vlla ratio disciplinæ, si denique in subditis vllus honestatis, & modestiæ sensus.

DE EXTREMA VNCTIONE.

CATHOLICA.

CREDIT catholica fides infirmos, quibus periculū mortis imminet, & exemplo Apostolorū Christi, & Iacobi manifesto verbo vngendos esse sacro oleo, cum oratione, verbisque ab Ecclesia ad id ordinatis, à sacerdotibus iuxta apertissima Iacobi de ea re verba, quibus sensus Ecclesiæ consentit, cuius testis est Innocentius primus in Epistola ad Decentium, & Eulibinum Episcopum cap. octauo: Vbi Sacramētum hoc esse apertè dicit. Chrysostomus etiam tertio libro de sacerdotio eandem aucto-

CATHOLICA.

73

auctoritatem Iacobi ita intelligit, vt illis precibus sacerdotum peccata remittantur. Denique & Beda in ipsum locum Iacobi, & Marci sext. idem asserit ex consuetudine Ecclesiæ, & auctoritate Innocentij. Hæc igitur vnctio etsi in principio Ecclesiæ corporale miraculum sanitatis frequenter coniunctum haberet, quod iam in Ecclesia cessauit, non tamen propterea otiosè iam agi dici potest, quandoquidem alios, & quidem vtiliores effectus Iacobus illi tribuit: Oratio, inquit, fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis est dimittentur ei. Non igitur hæc duo tam necessaria vltimæ infirmitati consolatio scilicet & corroboratio, contra infirmitatis vltimæ imbecillitatē, & imminentis mortis, iudicijque Diuini timorem, & reliquiarum peccati vltima remissio omittenda sunt, etiam si sanitas corporalis nō sequatur. Quāuis & hanc frequenter experiantur pij, restitui si nō manifesto miraculo, certè Diuinæ prouidentiae opere, cum id magis saluti piorum expedit.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

VVIR TENBERG.

NON est dubium quin memoria eorum Sanctorum, qui cum essent in hac corporali vita, Ecclesiam vel doctrina, vel scriptis, vel miraculis, vel exemplis iuuerūt, & siue martyrio testificati sunt veritatem Euangelij, siue tranquillo mortis genere in Christo obdormierunt, debeat apud omnes pios sacrosancta esse: & commendandi sint Ecclesiæ, vt doctrina, & exemplis ipsorum in vera fide confirmemur, & ad sectandā verā pietatem inflam-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Verum est, honorandi sunt sancti, & in exemplum, & confirmationem fidei sumendi, verum non solum, sed etiam in patronos, & aduocatos apud Deum adhibendi, vt in assertionem catholicam confirmamus.

L

memur.

memur. Patemur etiam quod sancti in cælis suo quodam modo pro nobis coram Deo orent, sicut & Angeli pro nobis sunt solliciti, & omnes creaturæ pro salute nostra celesti quodam modo ingemiscunt, & nobiscum, quemadmodum Paulus loquitur, parturiunt. Sed sicut ex gemitu reliquarum creaturarum non est instituendus cultus inuocandi eas, ita ex oratione sanctorum in cælis non est approbandus cultus inuocandi sanctos, de his enim inuocandis nullum extat in sacris literis vel mandatum, vel exemplum. Cum enim omnis spes salutis nostræ collocanda sit non in sanctis: sed in solo Domino Deo nostro per filium eius Iesum Christum, manifestum est, quod non sancti, sed solus Deus sit inuocandus. s. Quomodo inuocabunt, inquit Paulus, in quem non credunt? Non est autem in sanctos credendum, quomodo ergo essent inuocandi? Et cum necesse sit, ut qui inuocatur, sit scrutator cordis, non debent Sancti inuocari, quia non sunt cordis scrutatores. Epiphanius contra Collyridianos. Reuera sanctum erat corpus Mariæ, non tamen Deus, reuera virgo erat, ipsa virgo, & hono-

SCHOLIA CATHOLICA.

a. Cur non proprio, & perfecto modo, sicut cum hic essent, si enim uiuentes orabant, & orationibus apud Deum tanta poterant, nunc mutire non poterunt, (ut Hieron. inquit con. Vigilantium) ante Deum?

b. Propria est hæc similitudo. Angeli etiam orant proprie pro nobis ut in assertione catholica ex. cap. Zacha. habet, & Tobie in. Raphael inquit, ego obruli orationem tuam ante Dominum, quod quid aliud est, quam sua illam commendasse.

c. Hoc longe est ab alijs, Paulus non dicit modò celestes ingemiscere creaturas, sed reuera terrestres, nam illa metaphora continuam mutationem creaturarum significat, qua seruiunt magis corpori nostro corruptibili, & hac ratione etiam animæ, quam aliquid ad celestem pertinet beatitudinem.

d. Vide diuersam similitudinem, quomodo inuocandæ insensibiles creaturæ, & expertes honoris sint & reuera honestatis sancti apud Deum uiuentes illi familiares, & grati quare non inuocandi nisi dicatis eos non

non magis agnoscere nostra, quam arbores, aut elementa ipsa, sed hoc alienum est ab omni catholico sensu, Hiero. contra Vigilantium nec vult quidem mortuos eos appellari, sed dormientes, & verè uiuentes apud Deum, nam si ratio ista quidquid probaret, eodem modo contra volipfos diceremus, sicut creaturæ insensibiles non sunt honorandæ, ita nec sancti.

e. Extat vniuersalis Ecclesiæ consensus, & exempla quidem in sacris literis habemus orantium uiuentium pro alijs, in locu Simonis, & paralitico ab alijs deportato Lucæ 4. & 5. ubi vide Bedā, & Ambrosi. habemus etiam exempla Abrahæ, & Iob, & aliorum multorum, nec quidquam detrahitur sanctis per mortem, sed potius confirmatur plurimū orandi facultas.

f. Solo, inquam, sed non solitario, nulli fidimus quæ salutis nostræ sunt, nisi Deo, & ijs, qui ab eo virtutem cooperandi salutem nostram habent, quo multum tribuimus Deo, & Christo, ut scilicet per infima sua mēbra operetur etiam nonnunquam maiora, quam per se.

g. Certum est Paulum de inuocatione, in qua salus queritur ab eius virtute, qui inuocatur, loqui: precessit illud, omnis qui inuocauerit nomen Domini saluus erit: ubi nomen, virtutem, & auctoritatem, significat, ut alibi ipse inquit, nunquid Paulus pro vobis mortuus est, aut in nomine Pauli baptizati estis, non igitur inuocamus nomen Petri, aut Pauli, sed in eis, & per eos nomen Domini, sicut non ipsos, sed Christum in eis adoramus, ut inquit Hier. contra Vigilantium.

h. Satis est, ut qui inuocatur agnoscat cor diuina virtute, etiam si sua non sit scrutator. Helizeus non erat scrutator cordium, sed dicit Giezi.

4. Regum 3. Nonne cor meum in presenti erat quando homo, &c. non uir enim absentia, non erat scrutator cordium Samuel, & tamen dicit Saul, omnia quæ sunt in corde tuo indicabo tibi. 1. Regum 9. & multi sanctorum in hac vita mira virtute agnoscendorum cordium claruerunt. Scribit Athanasius in vita B. Anthonij tantam in hoc consequutum fuisse Dei gratiam, ut si alicuius rei ignarus esset, mox oranti reuelaretur illi a Deo: quid igitur dubitamus de beatis, ut Hiero. inquit contra Vigilantium, ut habes in assertione catholica.

i. Quis Deum dicit corpus virginis, aut sanctum aliquem, quis dixit unquam corpus Mariæ adorandum, & ut verbis Hiero. ad Vigilantium dicam, quis enim aliquando martyres adorauit? quis hominem putauit esse Deum? hæc itaque non est opus ut nobis dicantur, qui sanctis non honores diuinos, nec quidquam propriū Dei eis tribuimus, sed agnoscimus diuina in ipsis, Collyridiani, quæ est 79. hæresis apud Epiphanium, sacrificabant B. Mariæ, sacrificium verò vnum est eorum, quæ soli Deo debita sunt.

VVIRTENZERG.

tata, non autem proposita est ad adorationem, sed ipsa adorans cum, qui carne genitus est ex ea. August. de vera religione capit. ultimo. Non sit nobis religio cultus hominum mortuorum, quia si pie vixerint, non sic habentur, ut tales quærant honores, sed illum à nobis colunt, quo illuminante lætantur meriti sui nos esse conseruos. Honorandi ergo sunt propter imitationem, nō adorandi propter religionem. Et iterum ibidem: Honoramus eos charitate, non seruitute, nec eis templa construimus. Nolūt enim se sic honorari à nobis, quia nos ipsos cū boni sumus templū summi Dei esse nouerūt. Ac rursus de Ciuita. Dei lib. 8. cap. 27. Nec tamen nos iisdem martyribus templa, sacerdotia, sacra, & sacrificia constituimus, quum non ipsi, sed Deus eorum, nobis est Deus, &c. Martyribus nostris neque sacerdotes instituimus, neque offerimus sacrificia. Ambros. ad Roman. cap. 1. Solent misera uti excusatione dicentes: per istos posse iri ad Deum, sicut per comites peruenitur ad Regem. Age nunquid tam demens est aliquis, & salutis suæ immemor, ut honorificentiam Regis vendicat comiti? &c. Et mox: Isti non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto Domino conseruos adorant. At enim non adoramus, inquiunt, sanctos, sed tantum petimus orationibus eorum apud Deum iuari. Sic autem petere quemadmodum cultus Litaniarum ostēdit, & vulgo vsitatum est, nihil aliud est, quam in-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Eo loco Aug. aperte idololatrias reijcit, est enim vltimum caput illius libri, vbi omnia colligens inquit: non sit nobis religio cultus mortuorum hominum, & postea: non sit nobis religio cultus Daemonum, non terrarum cultus, & aquarum, non aeris, non corporum æthereorum, non arborum, nō animæ rationalis, itaque satis patet contra quos loquatur August. vbi dicit non esse adorandos homines, aperte explicans,

SCHOLIA CATHOLICA.

eans, sicut Deum, non construenda eis templa, vthic habes, quia hoc est proprium Dei, orandos verò, ut patroni sint, & aduocati, non negat, imò in fine illius capitis, & libri, vnum, inquit, colo Deum, vnum omnium principium, quisquis in illo manet, & potest humanas preces sentire in illo, me exaudit, quisquis ipsum habet bonum suum, in ipso me adiuuat, vide itaque aperte & exaudiri, & adiuuari nos à sanctis, & quod dixit quasi sub dubio, qui sentire potest, non aliud significat, quam quod noluerit certam, & vniuersalem regulam huius dare, agnoscunt quidem frequenter sancti preces nostras, quod ex miraculis, vel alijs Diuinis testimonijs ostenditur, aut ex motibus ipsis animarum nostrorum, quos credimus sepe à Deo moueri ad inuocandos sanctos, qui mortui nō est credendus frustra esse, ut in libro de cura pro mortuis gerenda Paulinus inquit, & confirmat August. de orationibus pro defunctis.

b August. in eo loco, & plurimis alijs eiusdem operis hoc agit, ut nullus honor Deo proprius sanctis tribuatur, quidquid verò post hoc est docet tribuendum martyribus, vide 10. cap. 11. libri, Nobis, inquit, martyres non sunt Dii, non templa sicut Dii, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum viuus est Spiritus, fabricamus, ita altaria, & sacrificia non eis, sed Deo in eorū nomine, erigi, & offerri dicat.

c Hæc Ambr. dicit in eos, de quibus Paul. dixerat, quòd quum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt, vique ad illud putantes se esse sapientes, stulti facti sunt, quorsum ergo contra catholicæ Ecclesie consensum in sanctis inuocandis hoc adducitur?

d Iam sæpe dictum est, nos non adoramus sanctos, deinde Amb. explicatiùs dicit, relicto Domino conseruos adorant, nos verò in illis adoramus Dominum, ut ex Hier. contra Vigilant. superius adduximus, deinde aperte ipse Ambr. ostendit, adoratione cultum Deo proprium, & maximum se intelligere, statim enim post illa verba: conseruos adorant, addit quasi sit aliquid plus, quod seruetur Deo: nos verò tantum oramus sanctos, ut orent pro nobis, quod etiam à peccatoribus petimus, Deo vero dicimus: salua nos, & miserere nobis.

e Adorare, si bene expendatur, non aliud est, quam externa corporis reuerentia testari quod in animo agnoscamus Deum esse, quem sic honoramus: non enim certus aliquis motus est corporis, qui sit adoratio Deo debita, vnde in scriptura legimus quòd Nathan adorauit Dauid, & similia, vbi adorationis nomine reuerentiam, sed non diuinam significauit scriptura, ex motu igitur animi magis sit adoratio, quam corpore, at nos nihil facimus in reuerentiam sanctorum, ut testemur ipsos esse Deos, neque inuocamus, nisi ut intercessores orate pro nobis.

uocare, & adorare sanctos. Talis enim petitio exigit, ut is, qui rogatur sit ubique præsens, & exaudiat petitionem. Hæc autem maiestas soli Deo competit, & si tribuitur creaturæ, creatura adoratur. ^b Fingunt quidam sanctos videre in verbo Dei, quæ Deus permittit, & quæ nobis utilia videntur. Quod etsi Diuinæ maiestati non est impossibile, tamen Elias manifeste affirmat, Abraham nescire nos, & Isaacem ignorare nos, ubi ^c glossa ordinaria citat August. dicentem, quod mortui, etiam sancti, nesciant quid agant viui, &c. Nam quod veteres scriptores vertunt, se aliquoties precibus suis ad sanctos, isti aut vulgi errore, sine exacto iudicio, ^d simpliciter secuti sunt, aut vsi sunt tali forma loquendi, non ut cultu theologico, sed ut figura Grammatica, quam ^e prosopopæia vocant, qua homines pii, & disertis non significant se colere, & inuocare sanctos, sed exprimere inenarrabilem illum gemitum sanctorum, & omnium creaturarum pro nostra salute: & significat pias preces, quas sancti in hoc seculo à Spiritu sancto coram Deo effuderunt, adhuc in auribus Dei sonare, sicut & sanguis Abel post mortem eius coram Deo adhuc vociferabatur. Et in Apocalypsi clamant animæ sanctorum intersectorum, ut sanguis ipsorum vindicetur, non quod iam in Domino quiescentes, cupidi sint vindictæ pro humano more, sed quod Dominus etiam post mortem ipsorum memor sit precū, quas dum adhuc in hac terra viuerent pro sua, & totius Ecclesiæ liberatione effuderunt. Epiphanius contra Aërium, Etsi & ipse nonnunquam hæret in cōmuni errore, tamen perspicue docet, sanctorum mentionem in Ecclesia fieri, non ut inuocentur, sed potius ut non inuocentur, nec Christo in honore æquantur. Mentionem, inquit, facimus iustorum patrum, Patriarcharum, Prophetarum,

phetarum, Apostolorum, Euangelistarum, Martyrum, Confessorum, Episcoporum, & Anachoretarum, ac totius agminis, ut Dominum Iesum Christum separemus ab hominum agmine, per honorem, quem ipsi exhibemus, & ut prestemus ei cultum, quo sentire nos significemus, quod Dominus non sit æquandus ulli hominū, etiāsi vnusquisq; eorū millies, aut ultra, in iustitia existat.

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Ita fatetur Hiero. contra Vigilant. ut citauimus in catholica doctrina, si agnus, inquit, ubique est, ergo & ij, qui cum agno sunt ubique esse credendi sunt, sed neque hoc asserimus neque hoc dicentes aliud intelligimus, quam quod non sua, sed diuina virtute, & operatione facile sit sanctis nostras orationes videre.

^b Nihil fingimus, sed hoc tantum dicimus, non esse difficile, neque certe mirandum, quod beatis Deus abscondita reuelat, quæ prophetis sepe legimus reuelata.

^c Glossa ordinaria nihil habet Augu. nisi vos plura habeatis, quam nos, deinde satis constat, quam alius sit sensus illius loci ex toto contextu. Hieronymus interpretatur quod sancti non agnoscunt peccatores, ut filios, nec pro eis orant, vel certe quia prius dicitur: Pater noster es tu, Abraham nesciuit nos, hoc videtur significare, quod illi quamquam patres fuerint populi, id tamen non sua sapientia, sed diuina factum esse, cum illi neque ipsos post futuros potuerunt agnoscere dum viuerent, non dicit in præfati, nescit, aut ignorat, sed nesciuit, aut ignorauit, in præterito.

^d Ita Vigilantius imponebat catholicis, quod cum mulierculis supersticiosius basilicas martyrum reuererentur, unde Hieron. inquit illi: Rides forsitan, & muliercularum deliramenta sublannas, & respondet, ego non erubescō earū fidē, sed heus amice, non est vulgi error, sed consensus Ecclesiæ, ut fide dignis testibus in catholica assertionē doceamus.

^e Itaque insensatos eos facitis, & patres præfatos eos reputant suis precibus, iam vidimus superius, quantum inter preces sanctorum, & gemitum creaturarum intersit.

^f Non solum in hoc seculo, sed etiam effundunt multo gratius, ut in assertionē catholica ex Hier. habes.

^g Bene agnoscitis Epiphaniū contrarium vobis, nec vos latere possunt, quæ eo loco dicit de auctoritate consensus Ecclesiæ, quæ adduximus in assertionē catholica, de defunctorum memoria.

^h Non inquit Epiph. ut non inuocentur, sed ut Christo in honore

SCHOLIA CATHOLICA.

non sequantur, non sequantur verò ut supra dictum est, quando inuocantur ut intercessores, non ut saluatores. Quare ut iam hoc ultimo loco non omittamus, cum inter Christianos omnes tam constans sit sanctorum, nec Deos, nec Deo, aut Christo æquales vlla ratione esse, & certum sit, nullo opere, aut verbo contrariū Christianos profiteri, non est cur tanto zelo contra hunc errorem accendimini, quem nec suscipiari quidem prudens potest. In cultu enim sanctorum, postquam in Ecclesia tam certò constat eorū differentia, adeò prudentiores magis putant, quædam aut toleranda, aut interpretanda modestius, quam reprehendenda. Hiero. contra Vigilant. clamantem, quod cereas clara luce accenderent ad reliquias martyrum gentili superstitione, respondet inter cetera: quoddam si aliqui propter imperitiā, & secularium hominū simplicitatem, religiosarum feminarum, de quibus verè possumus dicere, confiteor quod zelum Dei habent, sed non secundum scientiam, hoc pro honore martyrum faciunt, quid inde perdis? ubi adducto exemplo mulieris vngentis Christum, & Apostolorum murmurantium, tandem inquit: nec enim Christus indigebat vnguento, nec martyres lumine cerearum, & tamen illa mulier in honorem Christi hoc fecit, denotioque mentis eius recipitur. Hæc est patrum Ecclesiæ modestia, hæc pietas piorum filiorum, & non irreuerentis Cham iuriso.

DE INVOCATIONE SANCTORVM.

CATHOLICA.

Sanctos, qui aut gloriosa morte pro fide suscepta, aut puritate vitæ, aut denique miraculis Ecclesiæ commendati sunt, honorandos esse, & laudandos in Ecclesia, non quidem cultu, & laudibus Diuinis, non tãquam Deos, sed proximo gradu, tanquam Dei amicos, & filios vera fides agnoscit, & scripturæ sacræ testimonijs, & consensu Ecclesiæ, in quo & Deo ipsi gratum præstamus obsequium, & nos non tantum ad imitandos eos prouocamus, sed etiam plurimum consequimur auxilij, & gratiæ diuinæ eorum patrocinio. Quare orare ipsos pro nobis propriè quidè & verè, sicut cum hîc viuerent, nisi quod nunc multò instantius & ardentius, agnoscit vera fides, ut contra Vigilantium euincit Hieronymus: ita ut sanctorum orationes nullo modo gemitibus creaturarum pro

CATHOLICA.

pro salute nostra, quos secundum metaphoram Paulus dixit, sint comparandæ, plus quàm irrationabiles, & insensibiles creaturæ conferendæ sunt ijs, qui beatissimè, & felicissimè secundum rationem viuunt. Illæ itaq; neque coli, neque inuocari possunt, in quibus neque sensus, neque virtus est. Isti verò, qui participes effecti sunt Dei, meritò & inuocandi, & adhibendi sunt intercessores, & mediatores nostri apud Deum, id quæ exemplis, & mandatis scripturæ, & vniuersalis Ecclesiæ consuetudine, & apertissima etiam ratione fidei ita tenemus, ut de hoc dubitare non contentiosum solum, sed inhumanum sit. Sicut igitur nihil aut Deo, aut Christo detrahimus, quum Dei coadiutores, & cooperatores in opere salutis nostræ sanctos credimus, sed plurimum inde commendatur Diuinæ bonitatis largitas, cui ita placet honorare suos, & colligamur magis inter nos homines, erigimurq; ad desideranda, & participanda Diuina. Ita & per sanctorum inuocationem nihil detrahimus illi salutis nostræ spei, quæ in solo Deo tanquam primo auctore, per filium eius Iesum Christum, tanquam vnum sufficientem mediatorem, sita est, cum Sancti non nisi sub Christo, & virtute eius possint pro nobis intercedere. Nec igitur in illos credimus, sed in solum Deum, sicut nec templa illis dedicamus, nec sacrificia offerimus, sed vni Deo. Neque scrutatores cordis cogitamus ipsos, sed tantum amicos Dei, familiares Deo & ipsi præsentis, cui vni fidimus, quod eis, ut pro nobis orent, inspiret, & ostendat etiam pia nostra desideria, & supplices, subditosque ipsis propter Deum animos manifestet. Damascenus libro quarto Orthodoxæ fidei, cap. 16. Honorare debet Sanctos, ut amicos Christi, ut filios, & hæredes Dei. Vbi postquam amicos Dei, & hæredes eos probat esse, ita inquit: Si Rex

regnantium, & Dominus dominantium, & Deus Deorum, conditor omnium, & Dominus dicitur, omnino & sancti Dei, & domini, & reges. Et deinde: Quomodo igitur non honorandi sunt, qui cultores, & amici, & filii Dei existunt? nam honor erga gratos, & benignos conservos benevolentie erga communem dominum indicium est. Cyprianus serm. de nece Innocentium. Euigilarunt sensus, quos sopor infantie opprimebat, & post multa in eam sententiam, ita ut in ordine sanctorum protomartyres primum habeant locum, & secretorum conscii diuinorum, propinquitate familiarissima per clementiam Dei, pro nostris exorat laboribus, &c. Facti sunt superni capitolij senatores, & iudices, nonnullis veniam obtinentes in meritis. Hieronymus contra Vigilantium. Si Apostoli & Martyres adhuc in corpore constituti possunt orare pro ceteris, quando pro se adhuc debent esse solliciti, quanto magis post coronas, victorias, & triumphos? Vbi adductis exemplis orationum sanctorum, tandem ad Paulum veniens inquit: Paulus Apostolus ducentas septuaginta sex animas dicit sibi in mari condonatas, & postquam resolutus esse coeperit cum Christo, tunc ora clausurus est: & pro ijs, qui in toto orbe ad suum Euangelium crediderunt, mutire non poterit? Et quod pro nobis orant sancti, prater locum 2. Machab. 15. Hic est, qui multum orat pro populo Dei, &c. est etiam aperta auctoritas Zach. 1. Et respondit Angelus Domini & dixit: Domine exercituum usquequo tu non misereberis Hierusalem, & urbem Iuda, &c. Nobis vero promittitur a Christo, quod in celo similes erimus Angelis. Orabunt igitur sancti, sicut & Angeli. Et rursum ibidem dicit Vigilantio: Aut, vel sinu Abrahae, vel in loco refrigerij, vel subter aram Dei animas Apostolorum, & Martyrum

tyrum confedissem, ubi post multa in irrisum eius dicta ait: tu Deo leges ponis? tu Apostolis vincula iniicies, ut usque ad diem iudicii teneantur in custodia, nec sint cum Domino suo, de quibus scriptum est: sequuntur agnum quocumque ierit: si agnus ubique, ergo qui cum agno sunt, ubique esse credendi sunt? Bernardus in sermon. vigiliae Apostolorum. Oremus ergo eos, ut ipsi nobis propitium reddant amicum suum iudicem nostrum, qui est Deus benedictus in secula. Huic veritati attestantur orationes totius Ecclesiae, quae clamant sancta Maria, & sancte Petre, & ceteri. Ora pro nobis, cuius consuetudinis magna est antiquitas, & sunt non pauca antiqua concilia eam probantia, & habemus in scriptura, petendas esse orationes piorum. Seruus meus Iob orabit pro vobis, faciem eius suscipiam dicit Dominus, Iob 42. Paulus semper dicit se orare pro alijs, & alios exhortatur, ut pro se orent, ad Colossenses quarto: Orationi in state, orantes simul & pro nobis, &c. Iam vero probatum est, statui sanctorum non repugnare, quod eos ad orandum pro nobis prouocemus. Nec dubium est, hoc ipsum, quod in nobis reprehendunt noui isti consistentes, Vigilantium olim Hieronymi tempore reprehendisse in catholica Ecclesia, quod videlicet Martyres adorarent, quod Diuinos eis exhiberent honores, eo maxime quod putaret ipsos nostras agnoscere orationes. Vnde eodem modo nos illis respondemus, nouis videlicet Vigilantijs, quod Hieronymus illis, non illos, sed Deum adoramus, non ipsos ubique praesentes, sed Deo tantum, eiusque vultui assistere credimus, qui cum ipse ubique praesens sit, per eum sunt & sancti. Nec fingimus quidquam, quoniam nostras orationes, & quae nobis utilia sunt, eos Dei dispensatione agnoscere asserimus, sed docemus, quod credit Ecclesia,

CATHOLICA.

sa, quod multis exemplis scripturæ, & sanctorum patrum etiam de sanctis uiuentibus legimus, & quod Diuine bonitati, & omnipotentia conuenit. Nec verum est scriptores veteres errasse, quum oratione ad sanctos se conuerterent, aut per prosopopœiam finxisse personam, cui loquerentur, sed re vera ipsos presentes suis precibus agnouerunt, & multo uerius ipsis apud Deum uiuentibus, quam in hoc mundo constitutis loquebantur. Nec preteritis eorum orationes, & merita tantum apud Deum putarunt efficacia, sed nunc etiam quum apud Deum sunt instantius orare, ut Hieronymus contra Vigilantium dixit, ut superius habuimus. Hieronymus contra Vigilantium. Adducit eius calumniam, primo quod diceret contra reliquias sanctorum, quid puluerem linteamine circumdatum adorando osculari? & ita respondit: Quis enim (ô insanum caput) aliquando Martyres adorauit? Quis hominem putauit Deum: Vbi adductis exemplis Pauli, & Barnabæ, deinde & Petri prohibentium se adorari, ad temporum suorum exempla se conuertens, quod Constantinus reliquias Andree, Lucæ, & Timothei Constantinopolim transtulit, & Arcadius Samuelem ossa in Thraciam concurrentibus & Episcopis, & populis, quorum consensum pro magna auctoritate ibi affert, & tandem inquit: Occurrerunt sacris reliquijs, & tanta lætitia, adeo quasi uidentem, presentemque prophetam cernerent, susceperunt, uidelicet, adorabant Samuelem, & non Christum. Deinde & aliam eius blasphemiam adducens, audes, inquit, dicere, ergo cineres suos amant animæ martyrum, & circumuolant eos, semperque presentes sunt, ne forte si aliquis peccator adueniat, absentes audire non possint. Vbi hoc tanquam blasphemiam detestatus, ô, inquit, portentum in terras ultimas deportandum,

CATHOLICA.

79

tandum, ubi uide quod & sanctos orare consuetum in Ecclesia fuit, & quod eos non locis, sed Deo presentes orationes audire credebant, utrumque enim Vigilantius blasphemabat, utrumque probat Hieronymus.

DE MEMORIA DEFUNCTO RUM.

VIR TENBERG.

ET si ipsa idem sunt sanctus in Christo quiescens, & fidelis defunctus, omnis enim, qui in fide Christi hac uita defungitur, sanctus est: tamen quia libuit nonnullis discrimen inter hos ponere, uisum est & nobis duo diuersa capita de his adscribere. Ac primum sentimus piæ mentis esse, maiorum suorum in fide Christi defunctorum honestam mentionem facere, & gratitudinem ijs beneficijs, quæ ab ipsis accepimus debitam: erga posteros, & amicos eorum adhuc supersites, quibus possumus officijs declarare. Deinde exigit fides, ut sentiamus mortuos non esse nihil, sed uerè coram Deo uiuere, pios quidem in Christo feliciter, impios autem in horribili expectatione reuelationis Diuini iudicii, Exigit etiam charitas, ut optemus defunctis omnè in Chri-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Coniuncta charitate uerum est quod dicitis sanctus est, sed non omnino ab omni peccato immunis, ut in assertionem catholicam probamus.
b Hæc omnia uera quidem, sed Ethnicorum etiam, & Gentium sunt, quæ ad Christianam pietatem pertinent hic tradenda erant.
c Hoc fidei est, sed neque id satis ad eam doctrinam, quæ hic quaeritur: qualiter scilicet iuxta religionem Christianam erga defunctos nos habere debeamus.
d Miror quod optemus dixerint, quum iuxta eos omnem in Christo defunctum felicem constet esse. Itaque dicendū erat magis, iuxta hæc exigit charitas, ut congratulemur, felicitati defunctorum omnium in Christo. Nos catholici, qui semper ob infirmitatē humanam & uiuis, & defunctis timemus, optamus eis remissionem, uos qui certos uos esse iactatis de uiuorum, & mortuorum iustitia, idque fide tenetis, non est cur optare debeatis tranquillitatem uestris in Christo defunctis.

VVIR TENBERG.

sto tranquillitatem & felicitatem. Accedit & hoc, quod debeamus defunctos & nostros honeste sepulture, quo ad eius fieri potest, & tempus, ac hominum conditiones ferunt, ad testificandam spem resurrectionis nostre, mandare. Itaque iudicamus utile esse, ut in funeribus ea e sacris literis recitentur, & explicentur, quæ ad corroborandam fidem in horrore mortis, & ad confirmandam spem resurrectionis conducunt. Sed quod mortui iuuentur vſitatis illis vigilijs, precationibus, & sacrificijs, ac meritis horum, aut e pœnis liberentur, aut b maiorem felicitatem in cælis consequantur, nullum extat testimonium veræ Prophetiæ, & Apostolicæ doctrinæ. Vnum enim tantum est meritum æternæ vitæ, vna sola est redemptio, & liberatio nostra, videlicet Passio, & mors Domini nostri Iesu Christi. Et hoc meritum sit nostrum, cum credimus in Christum: sit autem à nobis alienum, cum Euangelio Christi nō credimus. Ioannis 5. Nō misit Deus filium suum in mundum, ut condemnet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum. d Qui credit in eum non condemnatur, qui autem non credit, iam condemnatus est, quia non credit in nomen vnigeniti filij Dei. Quare si quis ex hac vita in fide Christi excesserit, omne habet meritum Christi, nec indiget alieno. Deus enim, qui donat Filium suum, donat etiam cum eo omnia, ut Paulus ait. Qui autem hinc s emigraverit sine Christo, nullis potest hominum meritis iuvari, quia sine Christo nulla est salus. Cyprianus contra Demetri. Tract. i. Quando istinc excessum fuerit, & nullus iam lo-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Et hoc etiam quod plerum fuit Ethnicorum, non tam Christianæ religionis cultus, quam humanæ pietatis opus est, de cultu itaque Christiano in sepultura nobis dicite, quod si non vultis, Dionysium audite, quem

SCHOLIA CATHOLICA.

80

quem vos recte citastis lib. Eccles. Hierar. Is igitur cap. 7. mysterium, quod superijs, qui sancte quieverunt sit referens, lectiones sacras ad confirmandam resurrectionis fidem fatetur dici, sed addit etiam, quod de inde venerandus antistes precem sacram super mortuum peragit, & deinde precatur oratione illa Divinam clementiam, ut cuncta dimittat per infirmitatem humanam admissa peccata defuncto, cumque in luce statuat, & regione viuorum, in sinibus Abraham, Isaac, & Iacob, in loco vnde aufugit dolor, tristitia, & gemitus.

b Maiorem felicitatem non dicimus precibus viuorum mortuos conſequi, sed liberationem celeriorē, testimonia verō huius adducta sunt in catholica assertione.

c Fatemur, vnum est tantum meritum & vna redemptio, passio scilicet Christi, quia præter eam nullum meritum aut satisfactionem est, sed ab illa, & per illam sunt & merita & satisfactiones omnium, qui post vsum rationis iustificantur.

d Fide per charitatem operante constat intelligi.

e Primum quod ex hac vita in fide, & charitate Christi excesserit, fatemur habere omne meritum Christi, & cū Christo habere omnia, quæ ad salutem videlicet pertinent: sed non ideo ab omni culpa, & reatu immunis est, nam qui in hac vita omne meritum Christi habent, & in illo omnia, si in eius charitate sint, manent tamen obnoxij & culpis, & reatibus, ut in assertione catholica dicimus. Deinde habet quidem omne meritum Christi, qui ab eo iustificatur, sed non omnimodē verum, participat pro suo capiti, non quidem plenitudinem, sed gradū aliquē vel meriti, vel satisfactionis, vnde diuersitas illa, de qua Christus: In domo Patris mei mansiones multe sunt.

f Hoc certissimum fatemur, sed tertium quoddam genus decedentium omittimus, quod in illo prior fatemur esse, sed explicandum fuit, decedunt in Christo alij omnino liberi, alij obnoxij fragilitatis humanæ reatibus, nisi vos probetis, ut sæpe dictum est, nullum posse decedere nisi omnino purgatum, nam purgari multos à leuioribus illis ipso mortis cruciatu, credit Christiana pietas, de omnibus tamē nulla est ratio, nulla est auctoritas, sed sunt contrariæ auctoritates patrum, quas adduximus, & vniuersalis Ecclesiæ oratio pro peccatis defunctorum, ut in assertione catholica habes.

g Certissime hæc omnia fatemur, nulli potest contingere salus post hanc vitam, qui in ea non egerit poenitentiam à peccatis, nec satisfactionem, quæ hic agitur locus est, de qua Cypri. loquitur, nam ut Aug. inquit ex verbo Pauli, ut referat vnusquisque, prout gessit in corpore in hac vita, comparatur etiam meritum illud, quo post vitam meretur quis adiuari.

CUS

cus penitentia est, nullus satisfactionis effectus, hic vita aut amittitur, aut tenetur, hic salutis aeternae cultu Dei, & fructu fidei providetur. Hieronymus in Epistolam ad Gal. cap. 6. Obscurè licet docemur, per hanc sententiam nouum dogma, quod latitat, dum in presenti seculo sumus, siue orationibus, siue consilijs posse nos inuicem coadiuari. Cum autem ante tribunal Christi venerimus, non Iob, non Daniel, nec Noë rogare posse pro quoquam, sed vnumquemque portare onus suum. Nam quod ex Machabæis citatur, sacrificia pro peccatis mortuorum esse oblata, dubitat auctor ipse libri in fine eius, num rectè scripserit, ac precatur veniam sibi errauerit. ^b Demus ergo ei veniam, quod sine vlla Diuinæ scripturæ auctoritate affirmet, mortuos solui à peccatis sacrificijs, & orationibus viuorum. Et Tertullianus dicit, oblationes pro defunctis annua die fieri, sed hoc aut receptū fuit sine auctoritate verbi Dei, ex moribus Ethnorum, sicut multa alia: aut nomine oblationis intelligenda est publica commemoratio defunctorum in fide Christi: & gratiarum actio pro beneficijs, quæ Deus in ipsos contulerit.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hoc Hier. in locum illud: vnusquisque onus suum portabit, quæ proculdubio manifestè significant eum, cui peccata gratiora non sunt in hac vita remissa, nullis meritis iuari posse, remissis tamen illis, non frustra Ecclesia pro remissione peccatorum eorum, qui defuncti sunt, orat.

b Liber ille, vt in assertione catholica habes, in Christiana Ecclesia in auctoritate tanta est, vt magnæ sit temeritatis veniam dare tanto scriptori, sed res ipsa, solui scilicet orationibus, & sacrificijs viuorum defunctorum animas, consensu totius Ecclesiæ pater, vt habes in assertione catholica.

c Magnæ auctoritatis patres, & certè tota antiquitas asserit, esse ex traditione Apostolorum, sicut multa alia, hoc est calumniari Ecclesiæ si quæ

si quæ ex illis recepta sunt, ea non sine rationabili causa, & fructu, legimus, & auctoritate recepit Ecclesia.

d Sed vt in assertione catholica habes, orat Ecclesia, vt remittantur de defunctorum peccata.

DE MEMORIA DEFUNCTO RVM.

CATHOLICA.

Defunctos fideles, de quorum felicitate, ob humanæ fragilitatis incertum: solum dubitatur, qui scilicet in communione Ecclesiæ nullo manifesto iudicio ab ea excommunicati discesserunt, commendandos esse pijs viuorum orationibus, & sacrificio altaris, atque eleemosynis, ijs apud Dei misericordiam adiuuari, vt è pœnis purgatorii citius liberentur, credit catholica fides, vniuersalis Ecclesiæ auctoritate, quæ in hac parte manifestissima est. Etsi igitur sanctus dici possit omnis in Christi charitate defunctus, imò in hac vita degens in Christo, non tamen propterea sine peccato, vel reatu aliquo in hac vita aliquos esse credimus, neque in altera omnes. Quare non solum defunctorum esse memores ob gratitudinem, eosque propter fidem coram Deo viuere cogitare, & ornare eorum funera, atque in eis sacras lectiones ad corroborandam fidem, & spem resurrectionis legere debemus, sed etiam pro eis Dei misericordiam implorare, atque per charitatem cum eis vniti orationes nostras illis communicare, atque alia pia opera eiusdem vniuersalis Ecclesiæ consuetudines nos debere, docemur. Liberationem itaque à reatu pœnæ, & purgationem leuiorem putamus nostris suffragijs comparari defunctis fidelibus, non meritum æternæ beatitudinis, nec augmentum aliquod eius, nam omne meritum in hac vita comparatur etiam hoc, quo fit vt profint defunctis viuorum preces, vt Augustinus in Enchiridio ad Laurentium, & *Cap. 1. 10.* in principio libri de cura agèda pro mortuis docet. Vnà igitur

igitur confitemur redemptionem, & liberationem à peccatis, & vnum meritum eternæ vitæ Christi, scilicet extra quem nulla est satisfactio, nullum meritum, sed nostra opera, quum illi per gratiam vniti sumus, illius veraciter sunt, illius spiritu, & virtute & fiunt, & efficacia sunt, vel pro nobis, vel pro alijs, secundum videlicet quod eo inspirante, secundum charitatis ordinem, ad nostram, vel proximorum salutem ea dirigimus. Secundum ad Corinthios quart. Licet is, qui foris est noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est renouatur de die in diem, quod si renouatur, habet igitur aliquid vetustatis, atque ita peccati, vt Augustinus argumentatur. Et tamen loquitur Paulus de se iam iustificato. Iam igitur per fidem habebat meritum Christi, non tamen erat sine peccato. Ex hoc ergo quod Christi meritum habent, non sequitur nihil habere peccati dum viuunt, quare neque dum moriuntur, nisi aliunde id probent. Rursum eiusdem septimo inquit Paulus, has ergo habentes promissiones charissimi, emundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus, perficientes sanctificationem. Stat igitur iustificatis aliquid deesse sanctificationis, quid si ante eam consummatam subtrahatur, nunquid proderit eis mors, vt post illam tam liberi sint, vt sunt, qui sanctificationem impleuerunt? Quid si non exoluta poena, ad quam remisso peccatum constat obligatum quandoque manere, vt in Dauid patet, nunquid illa, non persoluta, peruenient ad Deum? Aut igitur probent ex scriptura non posse aliquem non plenè sanctificatum, aut non plenè persoluta poena, ex hac vita discedere, neque enim ex eo quod in Christo quis moritur, & meritum eius per fidem accipit, & iustificatus est, id sequitur, cum hæc omnia possint cum peccato, & reatu esse, aut intelligat se, qui sententiam

sententiam faciunt, multa sine illa contra sensum patrum, & piorum omnium inuicere in Ecclesiam. Augustinus libro de cura pro mortuis agenda, capite primo. In Machabæ. libris legimus, oblatum pro mortuis sacrificium, sed etsi nusquam in scripturis veteribus omnino legetur, non parua est vniuersæ Ecclesiæ, quæ in hac consuetudine claret, auctoritas, vbi in precibus sacerdotis, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum suum habet commendatio mortuorum. Damascenus in proprio sermone de hoc. Diui autem Apostoli, discipuli Saluatoris, in tremendis, & impollutis, vitalibusque Sacramentis, memoriam, eorum, qui fideliter obdormierunt, habendam edixerunt, quod adhuc firmiter, atque adeo sine contradictione obseruat Apostolica, & catholica Ecclesia Christi, & Dei, à finibus vsque ad fines terræ, ab eo tempore vsque in præsens, & in finem mundi vsque, omnino hoc neque vanè, neque surdè, neque temerè sortitum ordinatum est, quæ enim Christiana religio erroris nescia suscipit, & in tot secula seruat inconcussa, minimè vana sunt, sed vtilia, Deo placita, salutique nostræ conducibilia plurimè, hæc Damascenus eo loco iuxta translationem Oecolampadij, vbi Dionysij, Gregorij Nazianzeni, Chrysostomi, & Gregorij Nysseni apertissimis testimonijs hoc probat. Quod ergo liber Machabæ. reijcitur ab ijs consentientibus, primò contra plura concilia, & multarum Ecclesiarum auctoritatem est, quæ merito præferri potest illis, & certè à pluribus creditur, etsi non à Iudæis, à Christianis tamen, canonicos haberi, & vt minimum, si non in primo gradu canonicorum librorum, de quibus scilicet nunquam dubitatum est, tamen in secundo gradu eorum, scilicet qui à pluribus, & maioris auctoritatis Ecclesijs suscipiuntur. Merito itaque auctori-

CATHOLICA

ritati horum omnium consentientium preferendus est liber ille, sed dogma ipsum de orando pro defunctis certius est, traditione Apostolorum, quam ut opus habeat alia auctoritate. Tertulliani etiam verbum de oblationibus pro defunctis, quas in Ecclesia fieri annua die affirmat, nec ex moribus Ethnicorum, neque sine auctoritate verbi, sed traditione Apostolorum, verbo scilicet Dei non scripto, susceptum esse probat morem pro mortuis orandi, non tantum eorum agendi memoriam, aut gratias pro beneficijs in ipsos collatis referendi Deo. Quum Augustinus inter hæreses damnatas Aërij hoc enumeret, quod dixit ille: Orare, vel offerre pro mortuis oblationem non oportere. Et Epiphanius contra ipsum Aërium, quam 75. hæresim ponit, aperte inquit, de mortuis loquens, pro iustis, & peccatoribus memoriam facimus, pro peccatoribus quidem misericordiam Dei implorantes, & in fine omnium Ecclesia necessario hoc perficit traditione à patribus accepta, quis autem poterit statutum matris dissolvere, aut legem patris? Velut Salomō dicit: Audi fili sermones patris tui, ne repudies statuta matris tuæ, ostendens per hoc quod in scriptis, & sine scriptis docuit pater, hoc est, Deus mater autem nostra Ecclesia, habet statuta in se posita indissolubilia. Cum itaque in Ecclesia ordinata sint statuta, & bene se habeant, & omnia mirabiliter fiant, confutatus est rursus etiam hic seductor. Quæ omnia hic adduximus, ut si non ij consentientes, saltem qui ea legerint aduertant, quanta temeritate, & præsumptione tantis patribus, & toti Ecclesie se opponant, simulque omnes videant, quanta sit auctoritas Ecclesie, & quam necessaria sit ad agnoscendam veram doctrinam.

DE

VVIRTEBERG.
DE PURGATORIO.
VVIRTEBERG.

83

ET si dubitari non debet, quin suus sit sanctis in hac vita purgatorius ignis, quemadmodum testantur exempla Davidis, Ezechie, Iona, & aliorum, tamen haud immerito dubitatur, num post hanc vitam tale sit purgatorium, quale vulgus hominum putat, in quo animæ tantisper crucientur, dum vel supplicio satis pro peccatis faciant, vel indulgentijs redimantur. Si enim tale est purgatorium, valde mirandum videtur, quod nec Prophetica, nec Apostolica scripta aliquid certi, & perspicui de eo tradiderint, sed potius diuersum haud obscure doceant. Marci ultimo. Prædicate Euangelion omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui non crediderit, condemnabitur. Hic ponitur duo ordines hominum, vnus eorum, qui credunt Euangelio, & hi pronuntiantur salui, alter eorum, qui non credunt Euangelio, & hi pronuntiantur damnati. Inter hos non est aliquod medium, aut enim excedis ex hac vita in fide Iesu Christi, tunc habes remissionem omnium

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hoc non dubitamus, sed neque id dubium est, nec ratione, nec vlla certa auctoritate probari, omnem fidelem, & iustum, qui ex hac vita decedit, plenè purgatum decedere, ut superiore cap. in assertionem catholicam habes, quod si non plenè purgati decedunt aliqui, statim sequitur post hanc vitam purgandos, neque enim intrabit aliquid coquinatum in cælestem Hierusalem.

b Non est cur mirari debeamus, cum certum sit multa sine scriptura tradita esse, ut sæpe in assertionem catholicam dictum est.

c Quare ergo non citatis locum ubi contrarium docetur, sed tantum negatiue argumentamini, quia nec Christus, nec Paulus docuit.

d Iam ostensum est, in primo hoc ordine credentium esse duos gradus, alius purgatorum omnino, alius verò adhuc culpis, aut reatibus subiacentium, quæ tamen non excludunt à regno Dei.

M 3

pecca-

peccatorum propter Christum, & imputatur tibi iustitia Christi. Quare qui Christo comitatus in mortem ingreditur, ei nil deest ad consequendam veram, & æternam vitam: qui autem hinc sine Christo emigrat, ingreditur in perpetuas tenebras. Ac si præter hos duos ordines alius esset quispiam tertius status animarum in altero seculo, certè Paulus, qui ad paradysum, & in tertium cælum raptus erat, & multa arcana viderat, non invidisset Ecclesiæ hanc cognitionem. Ecce autem, cum ad Thessalonicenses ex professo de Christianis dormientibus scriberet, nullam prorsus facit mentionem alicuius purgatorii, sed iubet potius ne contristemur, sicut & ceteri qui spem non habent: Itaque si talis esset quispiam animarum status in altero seculo, qualem vulgus cogitat, non potuisset Paulus teneri quò minus loco tam opportuno hunc animarum statum perspicuè explicuisset, & Ecclesiæ rationem præscripsisset, qua posset miseris animas à cruciatu suo liberare. Sed & vetus, ac vera catholica Ecclesia aperte significavit, sibi de hoc tertio genere status animarum in altero seculo nihil certi constare. Chrysost. in eoeione 2. de Lazaro. Si quid cui rapuisti, redde, & dicitur iuxta Zachæum, do quadruplum si quid rapuisti cui factus es inimicus, reconciliare priusquam veneris ad iudicium. Omnia hic dissolue, ut citra molestiam illud videas tribunal. Donec hic fuerimus spes habemus præclaras, simulatque verò discesserimus illac, non est postea in nobis situm poenitere, neque commissis diluere. Et iterum: Neque enim, qui in præsentis vite peccata non abluerit, postea consolationem aliquam inuenturus est. Augustinus etsi ponit inter valde bonos, & valde malos medios quosdam, quorum tertio statui videtur locum purgatorium assignare, & tamen de

a Para

a Participat potius pro mensura quadam dicendum est, ut superius de iustificatione, in assertionem catholicam dictum est, sed nunc vide, quàm illa imputatio ab eis excogitata aliena sit à catholica doctrina, ex ea enim ventum est ad negandum purgatorium, sicut omnium falsarum orationum merita: observa similiter, hos duos ordines, & hanc rationem ex eis sumptam eandem esse, quàm proximo superiore capite posuerunt, ubi respondimus, constare itaque ex illis præcedentibus hoc sequi, & ita ex contrariis orationibus scilicet pro defunctis, necessario sequi purgatorium. b Paul. non invidit hoc Ecclesiæ, sed id scripsit quod Spiritus sanctus per eas literas significatum esse voluit: seimus vero Paulum prædicationi, & verbo magis deditum, quàm scripturæ, & ideo plura verbo, quàm scripto tradidisse, unde Timotheo dicit, quæ audisti à me per multos testes, non verò quæ scripsi, hæc commenda fidelibus hominibus, & non inquit hæc scribe, non itaque est spiritus Evangelici, soli scripturæ intentum esse.

c Pulchra scilicet divinatio, præscribitis igitur vos scriptoribus sacris, imò ipsi Spiritui sancto, satis fuerit audire, aut scribentem per sanctos, aut docentem per Ecclesiam, quæ est columna, & firmamentum veritatis.

d Quàm illa orat, ut remittatur defunctis peccata, quomodo nihil certi ei constaret de hoc tertio statu, pro quo scilicet solo orationis iste funditur.

e Vide quàm aperte Chrysost. locum post hanc vitam poenitendi, & luen di ipsa peccata commissa admittit, Cæterum Damasc. in sermone illo de defunctorum, Chrysost. certissima testimonia refert, asserentis post hanc vitam iuvare defunctos, & inter cætera hæc verba: Excogitemus quomodo defunctis proficimus, denique eis præsens subsidium, elemosynam, inquam, & oblationes, quæ res ipsis commodum, & lucrum, & utilitatem magnam adferant, non enim temerè in Ecclesia à sapientissimis suis discipulis sancita sunt hæc, & tradita, Sacerdos in tremendis mysterijs preces facit pro fidelibus defunctis.

f Quid sentiat Chrysost. habes in proxima annotatione.

g Tertius ille ordo constantissimè ponitur ab August. ex certa ratione orationum Ecclesiæ, & quod dicitis eum dubitare de hoc medio statu, certè non est unde id probari possit. In Enchiridio cap. 6. locum illi Pau. de superedificante, lignum, fœnum, stipulam pertractans, ignem illum de quo Paul. loquitur, tribulationem huius vite esse dicit, & mox sequenti cap. sub dubio proponit, an post hanc vitam tale aliquid fiat, & inueniri, inquit, aut latere potest, nonnullos fideles per ignem quemdam purgatoriu saluari, similiter & cap. 26. 2. lib. de ciuitate Dei latius hunc locum Pauli explicans, eodem modo sub dubio relinquit, de igne illo alterius vite, itaque de qualitate purgationis, non de ipsa purgatione ne dubitat.

ea realitas dubitat, nec quidquam certi definit. De hac igitur sententia Augu. sentiendum erit, quod ipse exigit, videlicet ut id recipiamus, quod vel auctoritate scripturae, vel a probabili ratione confirmatum fuerit. Manifestum autem est, quod quae dicta scripturae ad stabilendum purgatorium citari solent, a genuino suo sensu ad alienum torqueantur, & ab ipsis etiam veteribus interpretibus longe aliter exponantur. Et quas August. habet sententiae suae rationes hoc fundamento niti videntur, quod consequamur remissionem peccatorum, & vitam, non tantum propter Christum per fidem, sed etiam propter merita nostrorum operum. Sed quam conueniat hoc cum vera Apostolica doctrina supra indicauimus. Quare arbitramur, hanc theoriā de igne purgatorio suis auctoribus relinquendam esse, & hoc maxime omnium agendum, ut, quod Paulus monet, confirmemus nos inuicem sermonibus de certa spe resurrectionis, & salutis nostrae in Christo Iesu, propter quē Deus credentibus ita fauet, ut conseruet ipsos in media morte, & donet eos vera tranquillitate.

SCHOLIA CATHOLICA.

- a Quare non totius Ecclesiae consensu, & traditione Apostolorum quibus aperte purgatorium probatur.
b Illis locis scripturae fatemur non aperte purgatorium probari, sed quod ex certa regula fidei credimus, id auctoritatibus illis aduertimus indicari.
c Hoc qualiter intelligendum sit satis superius ostensum est, remissio peccatorum non fit ex meritis, sed remissio peccato per opera remissionem sequentia, quae ex gratia Christi manent satisfaciunt pro temporalibus poenis, quibus obnoxij sepe post remissionem peccati manemus, quae omnia certissima, & verissima esse ex ipsa scriptura ostenditur, ex quibus Aug. statum illum medium, & viuorum suffragia illis, qui in eo sunt vitia, certissima ratione intulit. Igitur assertio de igni purgatorio relinquatur utcumque suis auctoribus, sed purgatio animarum post hanc vitam certissima fide tenetur, illud tamen non est hic omittendum, quod

quod boni isti viri doctrinam, quam obscurare Christi gloriam, & aliana in esse a scriptura dixerunt, nunc tribuunt August. non igitur monachi a trecentis annis obscurarunt doctrinam hanc de vera iustificatione per fidem, cum apud eos hoc August. dixerit, & remissionem peccatorum, & vitam propter merita operum nostrorum contingere nobis, sed re vera imponunt August. quod attinet ad remissionem peccatorum, nullus enim manifestius quam ipse peccata gratis remitti docet.

DE PURGATORIO. CATHOLICA.

EX asserta de oratione pro defunctis tam manifesta sententia, necessario sequitur manere post hanc vitam purgatorium, ubi cruciantur, & ita purgantur illae defunctorum animae, quae in hac vita non plenē a culpis, vel reatibus fuerunt liberatae, sed in vera charitate Christi e corpore sunt solute, quae purgatio cum perpetua esse non possit, absoluitur tandem vel satisfactione, vel suffragiis viuientium, inter quae Christiana pietas indulgentias iusta de causa dispensatorum Ecclesiae auctoritate factas, nouit etiam collocare. Nec eorum, qui hoc negant argumenta efficacia sunt, sumpta ex eo maxime quod in scriptura sacra nihil perspicue de eo traditur, cum constet iam multa non scripta fuisse eorum, quae credenda sunt, sed auctoritas Ecclesiae satis est, quae orat pro illis, frustra enim haec fieret oratio, si post hanc vitam nihil aliud restat, quam aeterna vel beatitudo, vel damnatio. Quod igitur Marci ultimo duo ordines tantum disertē ponuntur, aliorum qui saluantur, aliorum qui damnantur: & quod Paulus ad Thessalonicen. de dormientibus locutus, non meminerit purgatorii, nihil aliud probat, quam non placuisse Spiritui sancto illis locis hoc explicare, sed in doctrina Ecclesiae aperte explicatum est, & sunt loca scripturae, quibus id satis insinuat. Matt. 12. Qui dixerit verbum contra Spiritum sanctum, non remittetur ei in hoc seculo, neque in futuro. Ex quo, inquit Gregorius quarto dialogorum capit. 39. intelligi

datur, quasdam culpas in futuro seculo remitti, sed tamen hoc de paruis, minimisque peccatis fieri posse credendum est. Sed neque quod per fidem Christi, & charitatem peccata remittuntur, & iustitia Christi vel imputatur, vel participatur à nobis, quidquam præiudicat fidei de purgatorio, constat enim ut proxima ostensum est, etiam post illa omnia reos teneri iam iustificatos. Hieronymus in primum capitulum Ezechielis. Exponens illud in fine capitis: & vidi quasi speciem electi, & cetera. ita inquit post alia, ex quo ostenditur, post poenas, atque supplicia & purgationem peccatorum futuram misericordiam, duntaxat in ijs, qui Deum meruerint videre regnantem. Vbi ex contextu satis apparet, quod de purgatione post hanc vitam loquatur. Idem Esaiæ ultimo: Referens errorem illorum, qui volunt supplicia aliquando finire, tandem post multa ita inquit: quod nos solius Dei debemus scientiæ derelinquere, cuius non solum misericordia, sed & tormenta in pondere sunt: & novit quem, quomodo, aut quam diu debeat iudicare, solusque dicamus, quod humanæ convenit fragilitati: Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripas me. Et sicut Diaboli, & omnium negatorum, atque impiorum, qui dixerunt in corde suo, non est Deus, credimus æterna tormenta: sic peccatorum, atque impiorum tam Christianorum, quorum opera in igne probanda sunt, atque purganda, moderatam arbitramur, & mistam clementiæ sententiam iudicis. Obserua itaque Hieronymum apertè de supplicijs post hanc vitam loquentem, quorumdam æterna dicere, aliorum verò, quorum opera probanda sunt, & purganda iuxta clementiam, ex quo ostendit non æterna futura eorum supplicia, præcipue cum dicat, purganda esse eorum opera. Iam igitur non duos tantum ordines

ordines defunctorum constat cum ponere. Augustini sententia & in Enchiridio, & in libro de cura pro mortuis gerenda constantissima est, & in consuetudine Ecclesiæ fundata, quæ pro illis orat, nec de hoc unquam Augustinus dubitavit, quamquam qualis sit illa purgatio, vel ille ignis sub dubio reliquit, nec remissionem peccatorum propterea meritis nostris tribuit, sed gratiæ Christi, satisfactionem verò necessariam frequenter post remissum peccatum esse, & operibus nostris, sed ex Christi gratia perfectis, fieri, iam supra probatum est: Quare qui purgatorij rejiciunt fidem, apertè Ecclesiæ repugnant.

DE VOTIS MONASTICIS.

VVIRTEMBERG.

Non est dubium, quin vota pia, iusta, & legitima servanda, ac soluenda, & vota impia sint rescindenda. Sed haud immerito disputatur, in quo votorum genere collocanda vota sint Monachorum, De^a virginitate, seu cœlibatu, paupertate, & obedientia. ^b Nam manifestum est, quod cœlibatus non sit verbo Dei præceptus. Manifestum etiam est, quod etsi cœlibum status sit in publicis periculis tranquillior, & ad peragenda publica mi-

SCHOLIA CATHOLICA.

^a A quibus rogo hoc disputatur, nisi ab ijs, qui non audierunt: de virginibus consilium do. Et: vade, & vende omnia, quæ habes, &c. Et illud denique: si quis vult venire post me, abneget semetipsum, &c. ita quæ nunquam in Ecclesia catholica hoc versum est in dubium, sed ad id non immerito disputatur, ubi merito etiam querendum, quo merito, & fructu hæc excluduntur ab Ecclesia.

^b Distinguendum est inter præceptum, & consilium, ut Paulus apertè distinguit: præceptum, inquit, Domini non habeo, consilium autem do, etsi ergo non præcipitur verbo, non ideo ab hominibus, sed à Deo profectum: censeri debet quod consulitur, & commendatur.

^c Ita Iovinianus locutus est, ut August. lib. de Hæresibus refert, & resellit etiam lib. de sancta virginitate, cap. 1. vsque ad 5.

nisteria

nisteria Ecclesie his, qui non videntur aptior, & accommodatior, tamen non est sentiendum, quod hoc genus vite per se sit ^a coram tribunali Dei excellentius, & sanctius, quam coniugium. Sicut enim in Christo non est Iudaeus, neque Graecus, non seruus, neque liber, vt Paulus ait: ita in Christo, nec est coelebs, nec maritus. Et quemadmodum in Christo Iesu circumcisio nihil est, praepitium nihil est, sed observatio mandatorum Dei, & noua creatura: ita ^d & coelibatus nihil est, coniugium nihil est, sed in Christo Iesu re natum esse, & Christi vocationi obedire. In concilio Gangrensi extat Canon: Si quis, inquit, ex his, qui virginitatem propter Dominum seruant, extollitur aduersus coniugatos, anathema sit. Et alius Canon dicit: Si quis virorum propter continentiam, quae putatur, amictu pallij vtitur, quasi per hoc se habere iustitiam credens, & despiciat eos, qui cum reuerentia birris, & alijs communibus, & solitis vtuntur, anathema sit. Et August. de bono coniugali cap. 21. Non ^a audet virginitatem Baptista praeferre coniugio Abrahae. Quare qui vouet virginitatem, vel coelibatum, aut ^b vouet eum, vt singularem cultum Dei, tunc quia status coelibum non est verbo Dei mandatus, pertinet hoc votum ad mandata hominum, de quibus Christus dicit: Frustra colunt me docentes doctrinas, praecepta hominum: Aut

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Hoc proprium vestrum est, ex peruerso Pauli sensu, Paulus cum dixisset non nuptis, & viduis: bonum est illis si sic permaneant, sicut & ego, quo significauit veram continentiam, statim addit: quod si non se continent, nubant, melius est enim nubere quam vri. Quod quum illis, qui se non continent dixerit, non est cur intelligendum sit verbo illo vri Paulum intellexisse rentari, aut molestijs carnis incitari ad libidinem, hoc enim docet ipse alibi, castigatione corporis reprimendam esse, non matrimonium. Itaque ex eo solo melius est nubere, quam vri, tantum habes

bes melius esse nubere, quam peccare, aut damnari, non vero tentari. ^b Hoc asseruit Iouinianus, & impugnatur in eo maxime Hieronymus. & Augustinus si non est excellentior, & sanctior coelibatus, quare Paulus inquit, melius est: cur per Esaiam promittit Dominus tam aperte Eunuchis, de quibus scilicet Christus dixit: qui se castrauerunt propter regnum Dei dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen meum & filijs, & filiabus, nomen sempiternum dabo eis. Vide August. lib. de S. virg. cap. 24. & 26.

^c Aliena omnino similitudo nam Iudaeus, aut Graecus, seruus, aut liber, non ad virtutem pertinet, coelibatus vero pertinet.

^d Quomodo nihil est, quum pertineat ad nouam creaturam, dicente in Apocal. Ioannes: quod qui cum mulieribus non fuerint coinquinati, cantant canticum nouum? Vide etiam August. cap. 17. lib. de sanct. virginitate, & sequentibus.

^e Quid concilium Gangren. definiat habes in assertione catholica, ibi virginitas, & coelibatus maxime commendantur, nec verba hic citata quidquam detrahunt, sed superbia tantum virginum reprimuntur, unde & alia litera habet, in coniugio positos per arrogantiam vituperauerit. ^f Primum hic non de castitate, sed veste tantum agitur, unde alia editio ita habet: si quis putauerit sancto proposito, id est, continentiae conuenire, vt pallio vtatur, deinde non usus ille, sed superstitio in eo reprehenditur, & superbia alios iudicandi, sic enim statim dicitur, tanquam ex eo iustitiam habiturus, & reprehendat, & iudicet alios.

^g Quid August. sentiat, secundum regulam sanctae fidei, in eodem ipso loco habes in confessione catholica: Res enim ipsas aperte in se docet, differre, & praestare coelibatum, sed non personas, nam ponit Abraham non minorem castitatem in animo habuisse, quam Ioannes, qui eius etiam ordinatione non contraxit.

^h Libenter hoc damus vobis, quod vero dicitis pertinere ad mandata hominum, in doctrina catholica ostendimus, quam sit alienum a veritate. August. cum in toto lib. de S. virg. hoc praecipue agat, vt votum eius commenderet, specialiter tamen cap. 14. ita dicit: sicut superius cum de praecipitis ageretur citauimus. Primum proponens in aeterna vita egregiam quandam esse gloriam, cui consequenda parum est liberatum esse a peccatis, nisi aliquid ipsi liberatori voueatur, quod non sit criminis non vouisse, sed vouisse, ac reddidisse sit laudis consiliu, inquit, do, tanquam, &c. ⁱ Etiam hoc damus, & vt dicamus verbis August. cap. 11. de S. vir. an vero qui frangit panem suum esurienti, si tantum propter hanc vitam faciat, stultus est, & ille erit prudens, si castigat corpus suum usque ad continentiam, qua neque coniugatur, si ei nihil proderit in regno celorum? Vides ergo nihil auferendum coelibatu, quod elemosinae synae tribuimus, ergo est satisfactio peccatorum, & meritum aeternae vitae.

vouet

vouet eum vt meritum remissionis peccatorum, & vitæ æternæ, tunc est manifestè impium votum, cui nullus est obnoxius. Nihilo rectius est paupertatem vouere. Aut enim conditione pauperes, & nihil terrenarum facultatum possides, tunc hæc crux, diuinitus tibi imposita, patienter est ferenda, quam si præterea voues, nihil aliud facis, quàm si in morbo voueas, te perpetuo agrotaturum, vel in infamia, te perpetuò fore infamè. Quod genus voti furor magis est, quàm pietas. Aut possides facultates, & voues te, ijs relictis, acturum vitam pauperè, vt victum quæras mendicitate, & consequaris, huius voti meritò, vitam æternam: tunc hoc votum primùm quidem pugnat cum charitate proximi, quæ exigit, ne cui sis præter necessitatem mendicimonio molestus: deinde pugnat cum fide in Christum, quòd is solus sit meritum æternæ vitæ. Manifestum igitur est hoc genus voti esse illegitimum, & impium. Facultates autem tuas sic deferre, vt eas in commune conferas, nò est paupertatè sectari, sed de certiori, & copiosiori, victu tibi prospicere. Qui qualis sit coram Deo cultus, obscurum esse nò potest. Obedientia verò, aut refertur ad Deum, tunc nò est arbitrarij voti, sed debitæ necessitatis, de qua obedientia dicitur, melior est obedientia, quàm victima. Aut refertur ad hominem, tunc sua sunt obedientiæ officia, quæ subditus magistratui, liberi parentibus, serui dominis, discipuli præceptoribus debent. Hac siue voueatur, siue nò voueatur, certè diuinitus exiguntur, sed hac còditione, vt semper Deo magis obediamus, quàm hominibus. Voueri autè homini obedientiæ, sine certa vocatione Dei, vt operibus talis obedientiæ, non solum præstes Deo singularem cultum, sed etiam expies coram Deo peccata tua, superuacaneum est, quia Christus dicit, frustra se coli huma-

nis

nis traditionibus, & impium, quia solius Christi obedientia, quam præstitit Deo patri suo, expiauit peccata

SCHOLIA CATHOLICA.

a Indigna non Christiano solum, sed prudente ratio, morbum, & infamiam tenemur propulsare, non habemus in Euangelio consilium de morbo suscipiendo, aut infamia querenda, sed tantum de ijs patienter sustinendis, sed habemus consilium querendi, & amandi paupertatè: & hoc fecerunt Apostoli etiam pauperes.

b Faciunt ergo contra charitatem proximi, quia diuitibus elemosynam mendicant, & hoc nomine dant eis materiam exercendæ virtutis, fortè ab egeute extorquere esset contra charitatem, aut otiosum, & Ecclesiæ inutile ex elemosynis velle viuere.

c Ipse Christus inquit, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in celo, non ergo repugnat Christo, paupertatem voluntariam meritum vitæ æternæ dicere, quod verò solus Christus, eiusque passio sit meritum vitæ æternæ, sepe expositum est qualiter sit intelligendum, nihil scilicet quod ab eo sit alienum.

d Cur qui in commune confert diuitias per alium, nò in suos tantum, sed in omnium vltus expendas, vt ipse non tanquam de suo, nec pro suo arbitrio, sed vt de Ecclesiæ peculio, & pro eius, qui præest, dispensatione alatur, non meritò dici potest paupertatem sectari, vel quid amplius fecerunt in primitiua Ecclesia fideles.

e Certè non est obscurum, si exemplum primitiue Ecclesiæ attendamus, quotquot inquit, erant possessores agrorum aut domorum, vendentes asseriebant pretia, & ponebant ad pedes apostolorum, Act. 4. vide ibi quàm sit commendatus Ioseph, qui cognominatus est Barsabas, qui hoc fecit.

f Si certam vocationem Dei intelligunt aliquam iuris naturalis obligationem, quales sunt de quibus proxime dixerunt, filij videlicet ad patrem, aut ciuis ad magistratum, &c. non est cur voueri non possit, præcipue cum vota propriè de ijs ad quæ non tenemur sint, sine certa vero Dei vocatione, hoc est, nisi certo cognoscamus hoc esse ei gratum, fatemur non esse vouendum quicquam, vt ita præstetur Deo gratus cultus, sed hoc habemus in illo verbo abneget semetipsum.

g Eodem modo hoc asserimus verum, quo superius idem diximus de paupertate, & coelibatu. Quid in scriptura ostenditur Deo gratus, quàm obedientia, & ea maxime, quæ voluntarie sine præcepto exhibetur: vel cuius rei habemus manifestiora exempla in Christo, quàm obedientiæ: vt Paulus inquit ad Philip. 2.

h Verum est, nullum est meritum, vel satisfactio nisi virtute huius.

nostra,

nostra, & reconciliauit nos cum Deo. Ex his & omni-
bus manifestū est, quod genus vouendi cœlibatus, pau-
pertatis, & obedientie, non consentiat cum doctrina ve-
rè Catholica, præsertim cum quidam non sint veriti, hoc
vouendi genus æquare baptismo.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Prius dixerunt non immerito in dubium verti, iam manifestum die-
cunt, quod hæc vota pugnent cū doctrina verè catholica, sed qua au-
thoritate, & ratione vidisti: nunc vide an doctrina verè catholica indul-
geat carni, & diuitijs congregandis, & propriæ voluntati.

b Nullus hoc votum æquat baptismo, quoad virtutem, & efficaciam
Sacramentis, sed quod hoc sit magna satisfactio peccatorum, nullus qui
rectè considerat, negare poterit, vnde quandoque, & frequentius qui-
dem, plena omnium satisfactio esse poterit.

DE VOTIS MONASTICIS.

CATHOLICA.

Credit catholica Ecclesia, inter pia, & Deo grata vota,
quæ non dubium est obligare eos, qui vouerint, sub
grauissimi sacrilegij peccato, ad sui impletionem, tria illa
Monachorum vota, paupertatis scilicet, castitatis, & obe-
dientie, potissima esse ex fontibus ipsis Euangelicis ab
Apostolorum tempore simul cum statu ipso Monachali
desumpta, & patrum omnium consensu commendata
Ecclesiæ. Hæc quidem in communi sint dicta, iam in spe-
ciali de singulis quid vera fides habeat subiungamus.
Castitas igitur omnimoda, quæ scilicet ab omni conta-
ctu Venereo abstinet, non præcipitur in scripturis san-
ctis, sed laudatur, & sub consilio proponitur omnibus,
in Euangelicis maximè, & Apostolicis literis, non solum
ob tranquillitatem præsentis temporis, sed propter futu-
ram etiam beatitudinem. Quare virtus est propriè Euan-
gelica, voluntariè custodita, coram Dei tribunali magni
meriti excellentior, & sanctior coniugio. Quod Ecclesia
semper

semper docuit, ita vt vix vllus fuerit error, qui minùs
persuaderi potuerit Christianis, quàm Iouiniani con-
trarium asserentis. Votum igitur illius & gratissimum
Deo, & semper in Ecclesia magni habitum fuisse con-
stat. Longe igitur cœlibatus hic, siue voto promissus,
siue sola voluntate observatus, distat ab ijs, quæ vel non
voluntaria sunt, sed naturalia, vel in se nihil habentia
laudis. Quare falsum est, quod sicut in Christo non
est Iudæus, neque Græcus, & sicut circumcisio nihil
est, & præputium nihil, quibus significatur nobilitas,
aut ignobilitas gentis, ita non est in eo cœlebs, vel ni-
hil est cœlibatus, sed re vera sicut observatio mandato-
rum Dei, & noua creatura aliquid est in Christo, ita vo-
luntaria hæc omnimoda castitas plurimum est. In Con-
cilio Gangrensi. Post damnatam superbiam illorum, qui
matrimonio, & possessioni propriarum rerum detrahe-
bant, inter quæ, ea sunt decreta, quæ habes in aduersa-
riorum confessione, tandem ita concludit, hæc autem
scripsimus non vituperantes eos, qui in Ecclesia Dei se-
cundum scripturas sanctum continentie propositū eli-
gunt, sed eos, qui abutuntur proposito in superbiâ, &c.
Et paulò post: Nos autem virginitatem cum humilitate
admiramur: & continentiam cum castitate, & religione
Deo acceptissimam dicimus: & renuntiationem secula-
rium negotiorum cum humilitate laudamus: & nuptia-
rum vinculum castum honoramus: & diuites cum iusti-
tia, & bonis operibus non abijcimus. Vbi si hæc, & reli-
qua illius concilij consideres, quod ante mille ducentos
annos celebratum est, vtrumque extremum Eustachij
scilicet, contra quem tunc agebant, & aliorum, qui nu-
ptijs detrahunt, & Iouiniani, qui postea exortus est, ma-
trimonium æquantis virginitati, quod in contraria con-
fessio-

sessione aperte habes, nisi quod in ea additur etiam Ioviniani error cum damnetur coelibatus ipse. Augustinus lib. de bono coniugali cap. 23. Quamvis in 21. dixerit, non fuisse impar meritum continentiae in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham, qui filios generavit. Et 22. capite, Continentes temporis Evangelij, non meliores esse sanctis coniugatis legis veteris docuerit, tandem inquit. Res ergo ipsas si comparemus, nullo modo dubitandum, meliorem esse castitatem continentiae, quam castitatem nuptialem, cum tamen utrumque sit bonum, homines vero cum comparamus, ille est melior, qui bonum aliquod amplius, quam alius habet, quod adhibitis exemplis ibidem explicat. Docet ergo sana, & catholica fides, & virginitatem & coelibatum cultum esse Deo gratissimum, amplissimas habentem Dei promissiones, eius maxime quae futura est aeternae vitae. Quare sunt & satisfactio maxima peccatorum, & meritum vitae aeternae. Quae omnia ideo praecipue habent, quoniam ut Paulus inquit: Qui sine vxore est, sollicitus est quae Domini sunt: & ijs omnibus rationibus, de eis sanctissime Deo sunt vota, verbi ipsius auctoritate. Paupertas etiam voluntaria, omnimoda scilicet temporalium rerum abdicatio, & exemplo, & verbis Christi, Apostolorumque eius commendatur, & ita, ut non sine magna blasphemia reprehendi possit, & non maxime laudari, ille qui ex quacunque conditione diues scilicet, vel pauper, rebus omnibus & habitis, & quae habere potest abrenuntiat, propter aeternae vitae propositum, ad quemcunque demum statum, quem Ecclesia non damnat, siue monachatus, siue cuiuscunque alterius rationis viuendi, transeat. Nihil ergo merito Christi detrahit, sed consentit veritati, qui hanc voluntariam paupertatem, & votum eius,

eius, & satisfactionem dicit esse peccatorum, & meritum vitae aeternae, & consequendae perfectionis non minimum instrumentum. Nec mendicare humilitatis amore contrarium est charitati proximi, modo non otiose, & sine vtilitate Ecclesiae mendicans viuat, sicut etiam in commune conferre propria, dispensanda scilicet in omnes, non solum paupertati illi, quae ob imitationem Christi suscipitur, non derogat, sed auctoritate Apostolorum, & exemplo primae Ecclesiae probatur. Obedientia quidem alia est ad salutem necessaria, sub praeepto videlicet imposita, cuius diuersae sunt partes, secundum diuersas principatus rationes, alia est enim serui ad dominum, alia filij ad parentes, alia vxoris ad virum, alia ciuis ad magistratum siue principem, alia denique ad Episcopos & pastores animarum. Inter omnes tamen prima & maxima illa est, qua Deo tenemur eiusque praeeptis obedire. Altera vero est obedientia, non praeepti, sed consilij, ideoque non necessaria, sed supererogationis, qua videlicet ad ea quae nobis per diuinam legem licita sunt, alicuius hominis arbitrio nos submittimus, propter Deum regnumque caelorum. Sicut constat fieri in religionibus, ubi voto professionis astringuntur profitentes obedire usque ad mortem, in cunctis scilicet illis rebus, quae ad vitae studia & actiones, denique ad omnia quae in vita occurrunt, lege Dei non prohibita, pertinent, ut in regulis sanctorum Basilij, Augustini, Benedicti, & ceterorum aliorum monachorum manifestissime patet. Quum igitur hoc obedientiae votum, omnem propriam voluntatem, quae reliqua est homini a diuinis praeeptis, per quam de tota vita actionibusque eius homo disponit, relinquat propter Deum, idque & doctrinae & exemplis Christi, & Apostolorum maxime consentiat, non est dubium, illud

CATHOLICA.

singularem esse Dei cultum, & maximi meriti satisfactio-
nisque, & aptissimum medium ad perfectionem con-
sequendam, quo verissime illud impletur: abneget se-
metipsum, & cetera. Quod etiam optimum eorum quae ha-
bemus, & quo solo domini sumus omnium, voluntatem
scilicet ipsam propter Deum relinquit. Vnde eo non po-
test ex ratione sua aliud maius esse, quam vitae totius propter
Deum amissio, qualis est in martyribus. Ex quibus om-
nibus manifestum fit, eos, qui vota haec paupertatis, coe-
libatus, & obedientiae cum doctrina vera catholica con-
sentire negant, ipsaque impugnant, non solum contra-
dicere scripturae sacrae, consensui Ecclesiae, & sanctitati
multorum à Deo miraculis apertissimis in Ecclesia con-
firmatae, sed etiam rationi ipsi, nobilitati quae humanae na-
turae, & ei quam habet ad diuinam assurgendi propensio-
ni iniuriam facere. Nec reprehendendi sunt, qui proba-
bili quadam ratione per ingressum religionis satisfieri
peccatis omnibus ita putant, ut quod ad immunitatem à
poena futuri seculi pertinet, æquiualeat baptismo pro-
fessio, non verò quo ad gratiam, & virtutem baptismi,
sed hoc tantum dicitur, quod iura ipsa & Pontificis om-
nem poenitentiam, & publicam satisfactionem pro quan-
tumvis enormi peccato in votum, quod fit in religione,
commutant, ut testimonio Stephani quinti patet in cap.
Admonere 33. Quæst. secund. Neque hoc ut certum, sed
Diuinæ potius misericordiae committendum asseritur.

DE HORIS CANONICIS.

VVIR TENBERG.

August. scribit alicubi Ambrosium Episcopum Me-
diolanensem instituisse, ut cætus Ecclesiae cantaret
psalmos, quibus sese mutuo in expectatione malorum
consolarentur, & ad ferendam crucem exsuscitarent, ne
populus, inquit, mœroris tædio contabesceret. Hic can-
tus,

VVIR TENBERG.

91

tus, quia factus est lingua vulgo nota, & habuit pium
usum, commendatione dignissimus erat. Et ex decretis
Canonicis apparet, horas quas vocant Canonicas, fuisse
ordinationes temporum, quibus percurrenda esset pub-
licè, singulis annis, & vniuersa sacra scriptura, quemad-
modum in scholis suae solent horae explicationibus aucto-
rum constitui. Talis horarum distributio fuit fortassis
suo tempore non inutilis, & per se non est damnanda.
Sed instituire singulare genus sacerdotum ad cantan-
das horas Canonicas, & scannere eas aliena lingua, quae

SCHOLIA CATHOLICA.

a Sed id aperte testantur, Mediolani hoc tunc institutum de nouo, quod
alibi iam antè fiebat, & sunt exempla, & praecepta huius à Christo, &
Apostolis, ut habes in assertionè catholica.

b Sic ille pius usus, consolatio populi in aduersis, cur erit impius impe-
tratio Diuinæ gratiae ad perferenda aduersa, sicut & conuersio per-
secutorum, & laus Dei.

c Hoc fatemur curatum fuisse in Ecclesia, ut pro diuersitate temporum
legantur diuersi libri scripturae, totam tamen fuisse lectam non constat,
neque ea lectione solum querebatur doctrina populi, sed etiam deuotio,
& exhortatio ad orandum, & placandum Deum, &c.

d Quare non aperte dicendum est commendandam esse, & plurimum
utilem scripturae sacrae, psalmorumque lectionem, etiam si aliquando
non intelligitur, modo semper suscipiatur cum reuerentia.

e Non ad hoc tantum sacerdotes, & alij ministri instituti sunt, sed ex
quo ministri sunt Ecclesiae, cur non per illos Ecclesia agit, quae sui mu-
neris esse cognoscit, intercedere orationibus pro populo apud Deum.
Constat & ex concilio Laodiceno cap. 15. & maxime ex concilio Cartha-
ginensium 4. fuisse semper in Ecclesia lectores, quorum erat in canoni-
cis horis cantare, siue legere scripturas.

f Alienam non ab Ecclesia, sed à vulgo, non est cur reprehendi possit, cum,
ut habes in assertionè catholica, vix sine magna difficultate, & pericu-
lo in tot linguas transferri possit scriptura. Olim vulgus Latine utitur
que intelligebat, iam verò quando cepit deficere, & corrumpi hec lin-
gua, non putauit Ecclesia expedire, ut maiestas scripturae, facile in Bar-
baras linguas translata, minueretur, & certe veniret in contemptum,
quanquam cõstet eodẽ etiam tempore nonnullos nec Latine intellexisse.

N 3

vul-

vulgo Ecclesiæ non sit nota, aut vernacula, & quidem alicubi noctu, diuque, sine vlla intermissione, succedentibus subinde sibi alijs atque alijs cantoribus, ac facere hoc sacrum, non vt^a per patientiam, & consolationem scripturarum spem habeamus, quemadmodum Paulus ait, sed vt meritò^b huius operis mitiges iram Dei, & expies peccata hominum coram Deo, hoc demum pugnat cum sententia verè catholice Ecclesiæ. 1. Corin. 14. Cum conuenitis, vnusquisque vestrum Psalmum habet, doctrinam habet, Apocalyp. habet, linguam habet, interpretationem habet, c omnia ad edificationem fiant. Hieron. in Epist. ad Ephes. cap. 5. Cantantes, & psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant hæc adolescentuli, audiant hi, quibus psallendi in Ecclesia officiū est. d Deo non voce, sed corde psallendum, nec in tragedorum modum guttur, & fauces dulci medicamine colliniendas, &c. Quod autem iam dictum est, de vsu linguæ vulgo notæ, intelligendum est, non tantum de cantu Psalmorum, sed etiam de omnibus^e partibus Ecclesiastici ministerij. Sicut enim conciones, & preces linguæ Ecclesiæ nota habendæ sunt. ita & Sacramenta noto sermone dispensanda sunt. Etsi enim licebit aliquoties peregrina lingua propter studiosos vt, tamen consensus Catholice Ecclesiæ hoc exigit, vt necessaria ministeria Ecclesiæ fiant sermone vernaculo. 1. Corin. 14. In Ecclesia volo quinque verba mente mea loqui, vt & alios institutam potius, quàm decies millia verborum lingua, &c. Innocentius tertius de offi. iud. ord. C. Quoniā. Quoniam & in plerisque partibus, infra eandem ciuitatem, atque diocesim, permixti sunt populi diuersarum linguarum, habentes sub vna fide varios ritus, & mores: districtè præcipimus, vt Pontifices huiusmodi ciuitatum, siue dioc.

diocesum prouideant viros idoneos, qui secundum diuersitates rituum, & linguarum Diuina illis officia celebrent, Ecclesiastica Sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter, & exemplo. Quare piè, & catholice facere dicendi sunt hi, qui dispensationem Sacramentorum, carmina psalmorum, & lectiones sacræ scripturæ sic constituunt, b vt Ecclesia intelligat quod dicitur,

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hoc non excludimus, scripturæ, & psalmorum cantus consolatur, & excitat spem, sed non hoc solum efficit.

b Quis dubitat oratione Ecclesiæ iram Dei mitigari, & expiari peccata hominum, nonne hoc fecit Moyses, & prophete, nonne Iacobus inquit orate pro inuicem & saluemini, multum enim valet deprecatio iusti assidua: non est opus referre quanta sint de his in scriptura.

c Non est alienum ab edificatione, cum aliquid diuinum profertur, quod etsi non plenè intellectum reuerenter auditur, & hac reuerentia excitatur deuotio, &c. sed illud hic est considerandum, Paulum aperte hoc loco vt linguam loquerentur permittere, linguam, inquit, habet, quo significatur, vt aperte ibi patet, ignota ijs, qui audiebant loqui, sed vult, vt postea non desit interpretatio, quod in Ecclesia etiam dicimus esse agendum.

d Solum intellige, neque enim vocalis cantus reprehenditur, sed docetur magis curanda cordis attentio, vnde in consequentibus excessum modulationis reprehendit, non modulationem ipsam.

e Hoc multò minùs probari potest, maxime in Sacramentorum administratione, vbi præcedere, aut sequi potest doctrina. Sed in ipso Sacramento non prædicatio Euangelij queritur, vt absque vlla ratione isti contententes contendunt, sed consummatio tantum Sacramenti, vbi quod attinet ad consensum Ecclesiæ, satis est vt intelligat Ecclesiæ Sacramentum agi, atque ita consentiat.

f Aperte hic loquitur de eo tempore, quo docendus est populus, vbi sicut Ambr. inquit, magis expedit breuis, et aperta oratio, q̃ cōfusa.

g Hoc Innocentius statuit in concilio generali, vbi nihil de lingua vernacula nouum, sed prouidet ne desit etiam diuersitas linguarum, vbi necessaria est, constat enim in Sacramento penitentiae, & multis alijs Ecclesiasticis ministerijs, necessariam esse vernaculam linguam.

h Propria auctoritate, priuatus, is scilicet ad quē nō pertinet gubernatio ecclesiæ, temerè magis hoc agit, q̃ piè, et schismaticè magis, q̃ catholice: nec fructus est admodum manifestus, vt in catholice assertionē habes.

legitur, & canitur, & fructum Spiritus ad consolandam mentem, & confirmandam fidem, ac excitandam charitatem capiat.

DE HORIS CANONICIS. CATHOLICA.

Epistola ad
Iuanuariū
119. cap. 18.

9. Confess.
lib. capit. 7.

Constat certē etiam Augustini testimonio morem cantandi hymnos, & Psalmos habere Christi, & Apostolorum documenta, exempla & praecepta, & longē ante Augustinum, & Ambrosium maximē in Ecclesijs orientibus consuetum, & iam eorum patrum tempore in toto orbe obseruatum, & multis sanctorum patrum cōcilijs distinctas horas, quas Canonicas vocant, & diligenter cautum quid, & a quibus legendum in Ecclesijs conuentibus. Ex quibus omnibus constat nō solum instructionem populi, & doctrinam lectionibus illis quæsitā esse, sed etiam Dei iram placare, orationibus Diuinā impetrare gratiam, pro peccatis satisfaccere, & populi animos ad caelestia deuotē cogitanda, & desideranda erigere, lectionem illam hymnorum, & psalmorum Ecclesia curauit, edocta magisterio Christi, & Apostolorum. Instituire itaque certos ministros ad cantandas statutis horis Dei laudes, persoluendasque ceteras orationes, Ecclesiae nomine, pro ea, & pro quibus ipsa orare intendit, constat ex cōsuetudine, ex sensu catholicae Ecclesiae esse: & hoc instituto non solum quæritur, vt per patientiam consolationis scripturarum spem habeamus, sed etiam vt iram Dei mitigemus, & pro peccatis satisfacciamus, idque merito, & efficacia orationis, est etiam vera scripturae sacrae, & Ecclesiae doctrina. 1. ad Timoth. 2. Obsecro igitur primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarū actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt. Iacobus etiam admonet: Orate pro inuicem, vt saluemini,

uemini. Et quantum oratio totius Ecclesiae profit, docuit Christus apud Matthæ. 28. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo. Quis ergo rectē potest dicere, solam instructionem, & doctrinam intendi debere in Ecclesia? Celestinus Papa in Epistola ad omnes Galliae Episcopos, capit. 11. Obsecrationum quoque sacerdotalium Sacramenta respiciamus, quæ ab Apostolis tradita, in toto mundo, atque in omni Ecclesia catholica vniformiter celebrantur, & cæt. Loquitur enim de orationibus, quæ à sacerdotibus fiunt, pro infidelibus, pro Iudæis, pro hæreticis. Nulla itaque ratione dici potest, in publicis conuentibus Ecclesiae instructionem tantum, & consolationem esse querendam. Iam ex his etiam sequitur quid sentiendum sit de lingua, in qua Psalmi, orationes, & Sacramentorum administratio peragi debent in Ecclesia, nam illud primò cōstat curandū esse diligentissimē vt populus instruat, deinde hoc plenē fieri nō posse sola lectione scripturae in quacunq; lingua etiā vulgari, sed necessariā esse viuā doctoris vocē, quare hæc semper lingua vulgari fieri debet. Cæterum, in alijs omnibus, vbi erectio cordium populi in Deū, deuotio, & sancta desideria quæruntur, non est cur lingua vulgaris necessaria sit, maxime si attendatur, quanta difficultas sit in transferenda scriptura, tenendoque verò eius sensu, in tot Barbaras etiam linguas, & quod non minus obscura sit scriptura in vulgarem linguam trāsata propter res ipsas, & phra-

SCHOLIA.

a Concil. Laodiceñ. cap. 15. vsque ad vigesimum nonum de precibus nona, & vespere, & tempore oblationis meminit. Agathē. de hymnis vespertinis, & matutinis, & missarum etiam, atque orationum meminit cap. 30. & consilium Vafense cap. 3. consuetudinis frequentius cantandi Kyrieley son, meminit & matutini missæ, & vespere.

ses locutionis, unde fit ut vulgus sepe errores colligat. Ad Rom. 12. Dico enim per gratia Dei, quæ data est mihi, non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem, & unicuique sicut Deus diuisit mensuram fidei, lege cetera quæ ibi, & primæ ad Corinth. 12. loquitur. Ex quibus constat simplicioribus maxime, & inferioribus populis non adeo querendam esse eruditionem, quam pietatem, & feruorem deuotionis. Spiritu, inquit, feruentes, orationi instantes, non alta sapientes, &c. Dionysius primo capite Ecclesiasticæ Hierarchiæ. Et ipsi quoque sanctissimi principes nostri, dum sacra publicè agenda instituerunt, non apertis, ac patulis sensibus, sed signis augustioribus tradiderunt. Est enim non omnis sanctus, neque omnium scientia est, ut sacra testantur eloquia. Multa itaque constat ex hoc verbo Dionysij abscondenda esse eorum, quæ in Ecclesia aguntur, quod toto eo capite diligenter docet, unde & in principio & in fine admonet Timotheum, ne sancta sanctorum efferat, aut profanis luminibus violanda permittat, neque ea passim rudibus tradat, sed sanctis solis sanctorum rerum intelligentiam sacratius pandat. Hæc enim ferè sunt verba eius. Qui igitur omnia volunt vulgari lingua in Ecclesia fieri, videant, ne hac re curiositati magis seruiant, quam pietati, hæc enim contenta ijs, quæ manifesta sunt, passione scilicet, resurrectione, & cæteris mysterijs, quæ in Ecclesia celebrantur, alia quæ intelligit veneratur, & proficit non parum hac humilitate. Curiositas verò semper cognita fastidit, & contemnit, quærit verò incognita, unde magis inflatio, quam ædificatio sequitur. Quod si neq; ijs rationibus quiescit hic euulgandi, & agnoscendi omnia appetitus, proponendum est Ecclesiæ, & expectanda eius sententia, non propria temeritate audendum aliquid.

DE

IEIUNIUM habet suam laudem, & vsum. Non est autem nobis nunc sermo, vel de necessario ieiunio, cum necesse habes ob inopiã cibi ieiunare, vel de allegorico ieiunio, quod est ab omnibus vitijs abstinere, sed est sermo de duobus vſitatis generibus ieiunij, quorum aliud est ieiunium perpetuum. Hæc est sobrietas, quæ semper, toto vitæ tempore, in cibo, & potu seruanda est. Nunquam enim licet heluari, & crapulã, ac ebrietatē sectari. Aliud est ieiunium diarium, cum aliquoties toto die abſtinetur à cibo, quale vſitatum fuit in veteri testamento, Leuit. 16. & testantur exempla Iosaphat, Niniuitarum, & alia. Hoc genus ieiunij receptum est etiam in vsum, post diuulgationem Euangelij, ut apparet ex actis Apostolicis, cap. 13. & 14. Secuta autem est postea magna varietas obseruationis id genus ieiunij in Ecclesijs. Sed hæc varietas, sicut non attulit Ecclesiæ vllum incommodum, ita testificata est libertatem vsus huius ieiunij. Et extat apud veteres obseruabile dictum de hac varietate, Ieiuniorum, inquit, discrepantia non rumpit fidei conso-

a Placent hæc distinctio ieiunij, & quæ de eius varietate dicuntur, sunt certa ex antiquis historijs Ecclesiæ.

b Libertatem in vsu ieiunij antiquitus satis constar fuisse in arbitrio Episcoporum, cæterum populis necessarium fuit instituta ieiunia tenere, ut in assertionem catholicam probatur, damnatus est enim Aërius contrariū docens, & in cœcilio Gangrēsi, cap. 19. anathemate dānatur, ieiunia cōmunia totius Ecclesiæ præter necessitatem corporale dissoluere.

c Auctoritate prælatorum, & consuetudine non rumpit consonantiã fidei, obligat tamen mos, & consuetudo ad sui obseruantiam.

nantiã.

nantiam. Etsi autem nonnulli sentiunt, ^a Christum dedicasse exemplo suo ieiunium quadragesimale, tamē manifestum est, quod Christus non mandauerit hoc ieiunium, nec rerum natura ferat, ut exemplū ieiunij Christi, qui totis 40. diebus, & noctibus ab omni cibo, & potu abstinuit, imitemur. Et non obscure significat Eusebius usum huius quadragesimalis ieiunij ^b fuisse in Ecclesia liberrimum. Dicit & Chrysostomus in Gene. cap. 2. Hom. 11. Si ^c ieiunare nō potes, potes tamen abstinere à delictis. Hoc autem non minimum est, nec à ieiunio multum distans, sed ipsum quoque Diaboli furorē prosternere idoneum. ^d Nec erat institutus delectus ciborū, q̃ Apostolis dixisset: Mundis omnia esse munda. Sed in talium ieiuniorum obseruatione, maximē omnium considerandus est finis. Veteres ieiunarunt aliquoties totis diebus, ut vacarent publicæ precatiōi, ^e & hac disciplina admonerent Ecclesiam suam, ac præsertim iuuentutem, de præteritis, vel de præsentibus, vel de imminentibus periculis, ac excitarent eam ad agendam pœnitentiam, qua ira Dei mitigaretur. Hic est pius, & utilis horum ieiuniorū finis. Alij ieiunant, ut meritō ^f huius operis expient peccata coram Deo, ^g vel sicut nonnulli loquuntur, applicent sibi ieiunio suo meritum Christi, sed hic finis omnino refutandus est, Primū enim, sola mors Christi est expiatio peccatorum nostrorum. Deinde, ieiunium non est in hunc usum ordinatū, ut sit opus,

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Hoc & Amb. & Chrys. & patres omnes, & tota Ecclesia semper sensit, contra quod temerē, & nulla ratione loquimini, nam quod non possis

possumus totos 40. dies sine cibo transire, atque ita integrē & plenē Christi ieiunium assequi, quomodo infert, propterea non debere præstare quod possumus, vel scilicet more fragilitatis humane ieiunemus, atque ita sequamur licet à longē Christum, sicut etiam sequimur exemplum passionis eius: Vide in catholica assertione de hac re patrum testimonia.

^b Non cuilibet, ut probatum est, sed prælatis liberum fuit dispensare, quod & nunc etiam non est dubitandum fieri posse. Hoc loco habet annotatio quædam in margine: Duobus tantum diebus in hebdomada ieiunabant per quadragesimam, & citatur hom. 11. in Gene. Chrysostomi, ubi aduerte contrarium omnino haberi, ait enim, allata similitudine stationum, & diuerticulorum, quæ sunt in via, ita nuncis, qui in hac quadragesima ieiunij cursum susceperunt, per duos hebdomadæ dies Dominus quietem largitus est. Itaque docet duobus diebus remissum fuisse ieiunium in Ecclesia sua, non verò duobus diebus ieiunatū fuisse. Itaque solum probant diuersitatem consuetudinis ieiunandi in quadragesima, quod confitemur, & tamen idem Chrysostomus exigit, ut necessarium, ipsum ieiunium.

^c Hoc omnes asserimus, nulli supra vires, & valetudinem imponitur ieiunium, Concilium Gangren. illis indicit anathema, qui præter necessitatem corpoream ieiunium dissolunt.

^d Delectus quidem ciborum, quasi aliqui essent immundi, non erat, sed ad affligendum corpus certum est, ut in assertione catholica habes, ex concilio Laodiceno, cibis abstinentiæ conuenientibus, & leuioribus vsos fuisse Christianos.

^e Quare non ut placarem Deum ipso ieiunio exemplo Niniuitarū? quare ieiunium tantum propter homines faciendum dicitis, dicente Christo: ut videaris patri tuo ieiunans? &c.

^f Nunquid ipsi non agebant id, ad quod Ecclesiam excitabant. Ieiunabant verò illi ieiunium, ergo iram Dei mitigat, alioqui cur Ecclesie exemplum dabant ieiunandi in imminentibus periculis?

^g Non dubitamus ieiunium satisfacere pro peccatis, ut probatum est in assertione catholica, & superius de satisfactione, & hic.

^h Et hoc asserimus, si compatimur, inquit Paul. & conregnabimus, si commortui sumus, & conuiuemus, ieiunium verò mortificatio est corporis.

ⁱ Vetus cantilena est, nihil ab ea alienum, sed Christianum, ieiunium imitatio est eius, & eius virtute à nobis fit, ut iam de cunctis pijs operibus dictum est.

quo

quo applicetur nobis meritum Christi. Aut enim ieiunium coniunctum est cum vera poenitentia, tunc meritum Christi applicatum est poenitenti per fidem, quæ est præcipua pars poenitentiae, antequam suscipiat vel perficiat ieiunium. Aut ieiunium est sine poenitentia, tunc est in conspectu Dei abominandum, tantum abest, ut applicet ieiunanti meritum Christi. Esaiæ 58. Nunquid tale est ieiunium, quod elegi, per diem affligere hominem animam suam? Nunquid cõtorgere quasi circulum caput suum? August. Epist. 86. ad Casulanum. Ego in Evangelicis, & Apostolicis literis, totoq; instrumento, quod appellant testamentum novum, animo id reuoluens, video præceptum esse ieiunium. Quibus autem diebus non oporteat ieiunare, & quibus oporteat, præcepto Domini, vel Apostolorum non inuenio definitum. At per hoc sentio, non quidem ad obtinendum, quam fides obtinet iustitiam, in qua est pulchritudo filiae regis intrinsecus. Chrysost. tom. 4. de ieiunio Quadragesimali, Hom. 73. Si quod cotidie huc conuenimus, ac totam ieiunemus Quadragesimam, & non mutamus vitam in melius, maioris damnationis occasio nobis fieret. Ex his manifestum est, quod sentire ieiunium esse opus, quo vel peccata coram Deo expientur, vel meritum Christi applicetur, nec sit Apostolicum, nec catholicum.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Ita fatemur, ieiunium coniunctum vere poenitentiae, applicare nobis meritum Christi. Sed aiunt, iam per fidem esse applicatum, verum est, per fidem, quæ per dilectionem operatur (ut Paulus inquit) quæ habet coniunctam veram poenitentiam. Quid verò impedit, ut applicato semel merito Christi, per poenitentiam cordis accedens ieiunium, quod est fructus eius, id magis, ac magis applicet? Nec enim semel applicatū minus potest rursum applicari, quam qui sanctus est, adhuc sanctificari. Totā

ri. Totā siquidem sanctificatio non aliunde est, quam ex applicatione meriti Christi. Sicut ergo in sanctificatione sunt gradus, ita applicatione meriti Christi. Quod verò de altero membro dicunt, ieiunium sine poenitentia sordidum esse in oculis Dei, est magis sobrie dicendum. Peccatores ieiunantes, aut alia ex suo genere bona opera facientes, etiā sine vera poenitentia, modo non perversa intentione, non parum promouent eo ieiunio. Implent enim præceptū, atque ad pia opera promptiores fiunt, & non nihil se disponunt. Itaque fatemur, ieiunium sine poenitentia, eius scilicet, qui est in peccato, non esse dignum remuneratione vitæ æternæ, non tamen est peccatum, nec omnino ingratum Deo, modo non adsit perversa intentio.

b Hoc aduertite & aperte id confitemini, præceptum esse ieiunium, nam & hoc loco desideramus in vobis sinceritatem, cum vestri ferē omnes ieiunium quadragesimæ rejiciant, & alia ab Ecclesia statuta cū Aërio, & vos etiam quantum intelligo re ipsa non teneatis illa. Cur ergo id non aperte dicitis, quod si hoc vultis significare, cum docetis liberrimum fuisse vsum ieiunij, dicite aperte rejiciendam quadragesimam, & omnia instituta ieiunia, & rejicite hoc verbū August. & consentite Aërio, aut si hoc non sentitis, aperte dicite obseruanda esse illa ieiunia, & opere id præstare.

c August. aperte eo loco disputat contra Vrbium quendam, qui ieiunandum esse necessario omnibus sabbatis docebat. In eadem epistola maxime docet seruandum esse morem cuiusque Ecclesie, quod etiam facit alijs locis, ut habes in assertionem catholicam.

d Quid hicalius Chry. docet, quam quod vel impium ieiunium non placeat Deo, vel quod Quadragesimam transgisse sine mutatione vitæ sit magis peccasse, quod certum est propter abusum sacri temporis, & transgressionem intentionis Ecclesie præcepti, scilicet quo in Quadragesima ad poenitentiam tenemur.

e Ex quibus rogo hoc sequitur, an quia ieiunium impium rejicitur, & exigitur mutatio vitæ à ieiunantibus, vel quia impotentibus non imponitur, vel fortè ex loco August. ad Casulanū citato, ubi dicit in Evangelicis, & Apostolicis literis, totoque nouo testamento se videre præceptum esse ieiunium, nam non video quid aliud adduxeritis præter vnicum illud verbum, quod sola passio Christi sit meritū, & quod applicetur per fidem poenitentiae, sed hoc quā sit vanum, ostensum est, nec mirari possumus, quā audacia hoc inferri potest inter Christianos, qui nouerunt, quā sit prædicatum ieiunium, potius itaque inverte, non est loquianum, neque est Epicureum, hos enim duos Hieron. coniungit.

Ieiunium illud speciale, quo videlicet non tantum sobrie cibo, & potu utimur, quod totius vite esse debet, sed quo speciali abstinencia ciborum, siue toto die, siue usque ad certam horam corpus affligimus, non dubium est consuetum fuisse semper in Ecclesia. Quanquam similiter, & modus eius, & tempus, diuersimode pro temporibus, & locis constet fuisse in usu, sed ut Augustinus inquit in Epist. 86. ad Casulanum, hoc veritati fidei nihil detrahit, observationes, inquit, quae varie celebrantur, in veste filiae regis intelliguntur. Vnde dicitur in simbris aureis circumamicta varietatibus, sed ea quoque vestis ita diuersis celebrationibus varietur, ut non aduersis contentionibus dissipetur. Illud etiam in hac diuersitate certo constat, statuta in qualibet Ecclesia, aut consuetudine, aut praetorum auctoritate ieiunia, ita observata fuisse, & exacta, ut haereseos etiam iudicati sint Aërius, Manichaeus, & alij, quod ieiunia, quae in Ecclesia statuuntur contemnenda docerent. Inter quae ieiunium Quadragesimae constat omnium patrum, consensu ab Apostolis traditum Ecclesiae, & derivatum à Christo, cuius quadragesimale ieiunium non dubitant asserere nobis esse imitandum. Ambr. in serm. de Quadrages. 25. & 34. Non enim fratres leue peccatum, fidelibus indicta Quadragesimam à Domino non ieiunare, & ieiunia consecrata ventris voracitate dissolvere. Scriptum est, qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit & ipse ambulare. Si vis ergo Christianus esse, debes quod Christus ille, qui non habebat peccatum Quadragesimam ieiunavit. Tu non vis Quadragesimam ieiunare qui peccas? Latius & hoc ipsum secundo loco prosequitur, hanc, inquit, Quadragesimam nobis Dominus suo ieiunio consecrauit.

secrauit. Ibi nec vnum diem ex quadraginta omittendum docet, sicut 23. sermone sine intermissione omnes quadraginta dies ieiunandos docet. Non quod dubitemus alibi forte aliquam fuisse remissionem, sed apud omnes praekoniam quadragesimalis ieiunii manifestissima sunt. Vide Chrysostom. in Homil. super Genes. & in alijs de Quadragesima. Leonem similiter in sermonibus de Quadragesima, & de ieiunio septimi mensis, Ibi sermon. octauo, de ieiunijs quatuor temporum anni, & de ieiunio decimi mensis hoc apertius. Augustinus in Epistola 119. ad Ianuarium 2. cap. 15. Vbi Quadragesima, inquit, ieiuniorum habet auctoritatem & in lege vetere, & in Euangelio. In qua ergo parte congruentius constitueretur, nisi confini, atque contigua Domini passioni? Et concilium Agathense cap. duodecimo: Placuit, inquit, ut omnes Ecclesiae filij, exceptis diebus Dominicis, etiam die sabbato sacerdotali ordinatione, & districtiois comminatione ieiunent, & hoc quidem tempore Celestini ante mille integros annos. Nam & delectus ciborum, etsi non ita praescriptus fuerit ut iam, proculdubio tamen seuerius multo seruabatur, unde in Concilio Laodicensi primo, cap. 50. Omnem quadragesimam dicitur oportere districto venerari ieiunio. Vbi alia litera habet: & ceteris abstinentiae conuenientibus, id est, aridioribus uti. Finem verò ieiuniorum Ecclesiae, certum est ex doctrina patrum, non tantum fuisse, ut admonerentur fideles iminentium periculorum, sed ut peccata expiarentur, mitigareturque Dei ira, & Deo gratiores efficeremur. Unde non verentur patres, citatis iam locis, miris laudibus ieiunium commendare, praecipue Ambrosii. Chrysostomi. & Leo. Non itaque quod ieiunium meritum Christi nobis applicet, falsitatis argui potest, sed magis, negare ieiunium

nium opus esse, quo eternam vitam mereamur, & sacrificium pro peccatis, error est apertissimus. Secundum ad Corinthios sexto. Paulus inter cetera ministrorum Dei exercitia, in vigilijs, inquit, in ieiunijs, in castitate. Et actum. 13. De ceteris, qui Antiochie erant, & ipso Paulo scriptum est, quod ministrantibus illis Domino, & ieiunantibus, & casti. & ipso, atque sequenti capite sunt exempla clarissima ieiunij, Ecclesiarum institutarum ab Apostolis, & Christus dominus, inquit de ieiunio: Pater tuus reddet tibi. Leo sermon. 4. de ieiunio decimi mensis. Ieiuniorum utilitatem noui testamenti gratia non remouit, & continentiam corpori atque anime semper profuturam pia obseruatione suscepit, quoniam sicut permanet apud intelligentiam Christianam: Dominum Deum tuum adorabis, & diliges proximum tuum atque teipsum, & cetera talium mandatorum, ita quod in ijsdem libris de sanctificatione ieiuniorum & curatione preceptum est, nulla interpretatione vacuetur, in omni enim tempore, ieiunia nos contra peccata faciunt fortiores. Similiter & sermone undecimo de quadragesima aperte inquit: adest maximum sacratissimumque ieiunium, quod obseruationem vniuersis fidelibus sine exceptione denuntiat. Et innumera sunt in eo & ceteris patribus de hoc testimonio. Chrysostomus Homilia prima in Genesim. Si medici pharmaca dare volentes, ut putridum humorem expurgent, a corpori voluptate abstinere precipiant, multo magis nobis spirituale hoc remedium, id est, utilitatem, quae ex ieiunio est, suscepturis, tenuitate victus nostram mentem expurgare conuenit. Et tota ex Homilia, & pluribus alijs eiusdem operis, miras annectit laudes, & virtutes ieiunij. Qui ergo ieiunij laudibus detrahit efficaciam, atque meritum, illoque nos Christo configurari, atque

atque ita magis, magisque eius meriti participes fieri negat, contrarius est catholicae, & Apostolicae doctrinae, cui Iouinianus, Aërio, & alijs schismaticis damnatus. Concilium Gangrense, capit. decimonono. Si quis eorum, qui continentiae student, absque necessitate corporea, tradita in communi, ieiunia & ab Ecclesia custodita superbiendo dissoluit, stimulo suae cogitationis impulsus, vel ut habet alia translatio, perfectam in scientia vindicans rationem, anathema sit, hoc ibi ante annos 1200.

DE CONSECRATIONE AQUAE, SALIS, VINI, HERBARVM, ET ALIARVM REBVM.

VVIRTENBERG.

Agnosceimus in veteri testamento diuinitus fuisse institutam aquam aspersiois, qua Leuitica immunditiae purgabantur. Agnosceimus etiam miraculum, quo Propheta Elizeus sanauit steriles aquas Iericho, injecto sale. Et amplectimur quod Paulus ad Timotheum scribens: Omnis, inquit, creatura Dei bona est, & nihil reiciendum quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei & precationem. Sed quod consecratur in nouo testamento aqua, quam vocant benedictam, cuius aspersione deleantur peccata venialia, & pellantur Demones, ac consecratur etiam

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Haec omnia catholica sunt, & praeter controuersiam & nobis, & vobis communia, sed quales imponitis nobis sensus horum, & quales vos habetis, cum dixeritis, respondebimus, nam quod ultra haec desideremus in vobis, quod ad rem institutam attinet, in assertionem catholicam ostendimus.

^b Motu potius deuotionis in Deum, & poenitentiae, ad quae signo illo exteriori aspersiois aquae excitamur, remittuntur peccata, adiuvante etiam Ecclesiae oratione, cui se coniungit suscipiens aquam.

O 2 sal,

VVIRTEMBERG.

sal, qui^a faciat res alioqui noxias salutare, non videtur nec Apostolicum nec catholicum esse. Nam imitatio^b Leuitica asperfusionis, & miraculi Elizæ, non est verbo Domini mandata, sed humano arbitrio vsitata: pertinet igitur ad hoc dictum Christi: frustra colut me, docentes doctrinas, madata hominū. Et manifestum est, q^d asperfusio sanguinis Christi, quæ sit per verbum Euangelij, per baptismum, & cœnam Dominicam, (excipitur autem per fidem) emundet nos à peccatis. Quod igitur est solius sanguinis Christi diuina ordinatione pro peccatis nostris effusi, hoc non debet tribui aquæ humana conditione consecrata. Quod autem Elizæus sanauit aquas steriles sale, proponitur nobis admirandum, vt confirmemus ex eo fidem, quam debemus prophetice concioni adhibere, non proponitur nobis sine certa vocatione Dei^d imitandum, propterrà quod miracula sanctorum non soleant esse generalia, sed personalia. Quod autem Paulus dicit, creaturas sanctificari verbo Dei, & precatione, non^e sentit creaturas, exempli gratia, salem, carnē, oua, herbas esse exorcizandas, vt vsu earū fugetur Sathan, sed quod omnes creaturæ sint verbo Dei in suum quæque externum vsum ordinatæ, quæ nobis tunc in bonum cedunt, cum ipsis ex fide, & inuocatione Dei recte vtimur. Sic Deus creauit salem ad condiendum cibum, & conseruandam carnem à putrefactione, aquam ad potum, aut lauacionem, aut rigacionem, non ad fugandum Dæmonem. Ordinauit quidem in baptismo aquam ad ablunda peccata, hæc autem non est generalis creatio Dei, sed specialis ordinatio certo verbo Dei definita. Nam quantum attinet ad generalem Dei creationem, & sanctificationem, non extat verbum Dei, quod testificetur creaturas, quas ante commemorauit.

^a Hoc

SCHOLIA CATHOLICA.

99

^a Hoc non sentit catholica Ecclesia, sal scilicet benedictum facere ex rebus noxijs vel corpori, vel animæ salutare, solum intenditur, quod orationes Ecclesiæ habet, vt scilicet sale illo benedicto, & aqua, & oratione Ecclesiæ, quæ illa benedicta sunt, aduersus potestates comprimantur. ^b Fatemur, sed neque est prohibita, nam verbum hoc, quod semper in ore habetis, frustra colunt me, docentes doctrinas, & mandata hominum, & ex ipsa Christi doctrina, & maxime ex Augustini verbis, quæ citauimus, de ijs, quæ sunt vel contra fidem, vel bonos mores constat intelligendum, Alioqui quæ exhortationem habent melioris vitæ nulsam quam in lege noua prohibita sunt, etiam si vel ex vetere lege, vel ex ritu Gentium veniant, in veram tamen fidem relata, nec sine edificatione aliqua de quo superius etiam plura dicta sunt.

^c Meritum passionis Christi fatemur offerri nobis, quum prædicatur Euangelium, & quum ministrantur Sacramenta, quod non pertinet ad prædicationem Euangelij, & suscipi ab adultis quidē per fidem quæ per dilectionem operatur, & omnibus etiam pijs operibus, vt dictum est, fatemur, & sola hac virtute sanguinis Christi remitti peccata, sola, inquam, quia nulla re ab hac aliena, aut separata, neque hoc tribuimus aquæ benedictæ, sed precibus Ecclesiæ, & deuotioni mentis, quæ omnia à merito Christi sunt, & aliquid sunt. Quod verò humana consecratione consecratur aqua, fatemur, sed pijs, & humilibus Ecclesiæ precibus, quibus Deum deesse non est credendum.

^d Neq; nos in Ecclesia illud imitari volumus, vt scilicet sale aquæ amaritudinem auferamus, sed illud mystice intelligentes factum, nos etiā mystice sal coniungimus aquæ, significantes, diuina gratia humanam omnem insipientiam sanari, & precamur Deum, vt pie vtentibus illis gratia suæ non denegeret auxilium.

^e Neque nos sentimus germano sensu Paulum hoc significasse, sed quod Augu. dicit. lib. de peccat. merit. & remis. cap. 16. sanctificari cibos, quibus ad necessitatem vitæ vtimur, per verbum Dei, & orationem, quam scilicet oramus nostra corpora refecturi, sed creaturas posse ita exorcizari fatemur nusquam prohibitum, nihil habere contra fidē, aut bonos mores, sed habere potius aliquid ad edificationem. Admonemur enim malitiæ Diaboli, quæ semper nobis insidiatur, infirmitatibus nostræ, & docemur semper ad orationem confugere, maxime quæ Ecclesiæ quæ nunquam non potest efficax esse apud Deum. Itaque sic licet adiurare ipsum Sathanam immediatē, vt ita dicamus, ita per has creaturas idem facimus.

O 3

mus,

VVIR TENBERG.

mus, & exorcismis ad hoc viles fieri, vt deleant peccata, & fugent Damones. Quod autem suscipitur sine verbo Dei in alienum à Diuina ordinatione vsum, non potest fieri ex fide, sed sit abusus, & adfert magis perniciem, quàm salutem. Ad Romanos 14. Omne quod nō est ex fide peccatum est. Cyprianus Epistola 3. lib. 2. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere quid aliquis ante nos faciendum putarit, sed quid prior Christus, qui ante omnes est, fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Qualiter deleant peccata, & fugent Demones dictum est, quod verò non sit verbum Dei hæc testificans, etiam si fateamur, nihil obest, satis est, quod non sit contrarium: deinde est verbum, quo testificatur actionibus Ecclesie sue pijs, in quibus nihil contra fidem, aut bonos mores est, adesse Deum, eiusque audire preces.

b. Contra verbum Dei dicendum esset, id est contra fidem, aut bonos mores: hoc enim adfert perniciem.

c. Sed non est alienum à Diuina ordinatione, vt in vfu creaturæ eius inuocemus virtutem, & confidamus ad futuram nobis, atque hac ratione nos ad eā percipiendā excitemus: quam ergo hoc adfert perniciem?

d. Quod repugnat fidei, & alienum est ab ea, fateamur esse peccatum, quid inde habetur, an non ex fide est audire Deum orationes Ecclesie?

e. Cypria. hoc loco agit contra eos, qui non miscent in calice aquam vino, vbi primum vos conuenio, an hoc sit vilo verbo scripture traditum, & tamen hoc Cypri. à Christo docet esse factum, & contrarium ait esse Christo, qui illam omittit. Quod vtinam audiretis, multa scilicet non scripta tenenda esse non minùs, quàm scripta, quod igitur inquit, solus Christus audiendus est, aperte significat, quod nullus contra illa, quæ contraria sunt scripture, vel traditioni, sit audiendus, in his verò nihil est simile.

DE CONSECRATIONE AQVAE, SALIS, VINI,
HERBARVM ET ALIARVM RERVM.

CATHOLICA.

Aug. epist. Agnoscit vera fides & modestia Christiana, quod ea, quæ neque contra fidem, neque contra bonos mores
ad Ianuari. 1. quæ est numero 113. ca. 2. et 3. et epist. sequenti capit. 18. et 19. faciunt,

CATHOLICA.

faciunt, pro eorum, inter quos viuunt, societate seruanda sunt, nec ob indifferentem aliquem ritum turbandæ sint simplicium conscientia, aut excitandi ad contentionem turbulenti, multò minus schisma faciendum in Ecclesia. Et hoc quidem etiam in illis rebus, quæ aut vix, aut omnino nihil habere ad ædificationem inueniuntur, multò igitur magis in ijs, quæ aliquid habent exhortationis ad pietatem. Illud Augustini certissimū est, quod mos populi Dei pro lege est habendus. Illud etiā ex sacra scripture constat, corporeas has creaturas in vsum hominibus datas, verbo Dei, & mysticis Ecclesie precibus rectè benedici, & exorcizari, quò aduersariarum potestatum malitia, quæ per illas nocere poterat fidelibus compescatur, & ipsæ creaturæ vtiliores ipsis efficiantur. Agnoscit etiā pietas Christiana, & ex Christi promissione, & ex traditione Apostolorum, à sacerdotio ipso Christi deriuari vnguentum illud sanctificationis, non solum in sacerdotes, & sacramenta, sed etiam in ipsa inanimata, quorum in Sacramentis est vsum, vt altaria, vasa, vestes, & denique in omnia, quæ Ecclesie precibus, vel ad vsum Sacramentorum, vel ad præparandos fideles consecrata sunt. Aquæ igitur benedictæ consecratio habet quidē exemplum, & veluti analogiam in aqua lustrationis legis veteris, sicut admistio salis, atque benedictio in Helizæo, sed non hæc quasi necessariò obseruanda in lege noua suscepta sunt, sed vel ex fiducia in Christum, qui sacerdotibus suis deesse non potest, antiquissima traditione in salutem fidelium consecratur, vel certè ex consuetudine & Iudæorum, & Gentium translaturum, aut permissum in Ecclesia propter infirmos, qui omnino carere externis quibusdam ceremonijs non possunt, quibus multò infirmiores sunt, qui ijs offenduntur, & nec hoc

CATHOLICA.

illis condonare possunt. Peccatorum verò etiam venia-
lium delictio (quam non nisi virtute sanguinis Christi
fieri credimus, & concurrente proprio deuotionis, vel
pœnitentiæ motu, in adultis) non aliter tribuitur aquæ
benedictæ, quàm secundum propriam deuotionem, quæ
scilicet in eius asperione habetur, quisque se disponit ad
illam. Atque idem dicimus de effugandis Dæmonijs, ex
deuotione videlicet, vel Ecclesiæ hoc orantis Deum, vel
ipsorum etiam, qui vtuntur, in quibus omnibus nihil est
quò derogemus virtuti Christi, quum quidquid in eis
sit, totum virtuti passionis eius tribuamus. Et quidem
cùm hæc virtus passionis Christi, non semel tantum, sed
omni etiam momento nobis necessaria sit, non tantum
per baptismum, & alia Sacramenta, sed per omnia pia
opera, & desideria applicatur nobis, vt superius satis ostē-
sum est. Aqua verò benedicta, vel ingressu Ecclesiæ, aut
alijs huiusmodi, non certa fide tenemus hoc fieri, vt sint
quasi Sacramenta, certo Dei verbo instituta: sed pietate
quadam, & fiducia diuinæ bonitatis speramus, bono de-
siderio cordis nostri, & multò magis Ecclesiæ, assuturam
Dei virtutem, quæ nos excitet, & magis participes faciat
passionis Christi, cùm frequenter ipse sine aliquo horū
id soleat efficere, ad quod vsu horum nos excitamus. Ad
Hebræos 13. Obedite præpositis vestris, & subiaceite eis,
& Christus in Euangelio: Qui vos audit, inquit, me au-
dit. Augustinus 2. Epistola ad Ianuarium 119. cap. 18.
de varijs ritibus. Vna in his saluberrima regula tenenda
est, vt quæ non sunt contra fidem, nec contra bonos mo-
res, & habent aliquid ad exhortationem vitæ melioris,
vbicunque institui videmus, vel instituta cognoscimus,
non solum non improbemus, sed etiam laudamus, &
imitando sectemur: si aliquorum infirmitas non ita im-
pedit,

CATHOLICA.

101

pedit, vt ampliùs timendū sit. Alexander primus Epi-
stola prima ad omnes Orthodoxos: Aquam enim salē
conspersam populis benedicimus, vt ea cuncti aspersi san-
ctificentur, ac purificentur. Quod & omnibus sacerdo-
tibus faciendum esse mandamus, vbi adducto exemplo
aquæ ex cineribus vitulæ veteris legis, & salis, quo Eli-
zæus aquæ sterilitatem sanauit, & denique fimbriæ ve-
stimenti saluatoris, cuius tactu infirmi sanati sunt, quan-
to, inquit, magis elementa Diuinis precibus sacra-
ta, sanctificant? & cætera multa, quæ in hanc sententiam ibi
dicuntur. In quibus fide maxima, sanctus ille Pontifex,
Diuinis precibus cuncta necessaria infirmitati humanæ
vult à sacerdotibus perfici, etiam miracula.

DE SACRA SCRIPTURA. VVIRTENBERG.
Sacram scripturā vocamus, eos canonicos libros veteris,
& noui testamenti, de quorū auctoritate in Ecclesia

SCHOLIA CATHOLICA.

a Quare non etiam eos, de quibus etsi aliquando dubitatum fuit, pos-
tea tamen in concilijs patrum diligenti examine constare esse receptos.
Nām & concilium Nicænum refertur censuisse de libris canonicis, &
multa sequentia concilia, multosque pontifices constat idem fecisse, &
multi de quibus dubitabatur libri sunt recepti, vultis igitur nullum
vnquam dubium finiri in Ecclesia, sed quidquid demū aliquando du-
bium fuerit, semper futurum dubium? Vbi ergo dubium Cypriani,
imò eius cum 70. Episcopis sententia de rebaptizandis ijs, qui apud hæ-
reticos baptizati sunt? Cuius contrarium iam præter omnem dubita-
tionem catholicum dogma habetur, vt August. in lib. 7. de baptismo
contra Donatistas dicit. Re vera velle adhuc libros illos Sapientiæ, &
Ecclesiastici, Tobie, & in nouo testamento epistolam Iacobi, & denique
que reliquos, de quibus aliquando dubitatum est, à canone rejicere,
proterua est nimis inuerecunda. Quis præferat tot conciliorum, & pa-
trum auctoritati, & tanto consensui Ecclesiæ, non modernæ tantum,
sed antiquæ, sensum suum? Sed neque id magnopere ad rem pertinet,
quum dogmata ipsa, quæ ex ijs libris probari possunt, propter quæ ne-
gari forte poterant, certa Ecclesiæ auctoritate consent, gratis igitur,
vultis de hac re adhuc contendere.

nunquam dubitatum est. Hanc scripturam credimus, & confitemur esse oraculum Spiritus sancti, cælestibus testimonijs ita confirmatum, vt si Angelus de cælo aliud prædicauerit, anathema sit. Quare detestamur omnem doctrinam, cultum, & religionem ^a pugnātem cum hac scriptura. Sed quod nonnulli sentiunt, in hac scriptura non contineri omnem doctrinam, nobis ad veram, & perpetuam salutem ^b cognitu necessariam, & ius interpretandi huius scripturæ in potestate summorum Pontificum ita situm esse, vt ^c quod hi pro suo arbitrio pronuntiant, amplectendum sit ^d pro sententia Spiritus sancti, videtur facilius posse dici, quā probari. Secundæ ad Timotheum tertio. Omnis scriptura diuinitus inspirata & utilis ^e est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in iustitia, vt perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus. Ioānis. 15. Vos dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, nota vobis feci. Quæ autem Apostoli acceperunt à Christo, ea vulgauerunt prædicatione sua in toto orbe terrarum, & tradiderunt ea posteritati scriptis suis. Manifestum igitur est, quod omnia, quæ ad salutem cogni-

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Hoc certissimum est, & loco illo Pauli euidenter probatur: Si Angelus de cælo, &c. Sed videndum ne faciliè indicetur aliquid pugnare cū scriptura, quod non nisi certa ratione, vel auctoritate fieri debet, vos enim, quod alibi dictum est, inuocationem sanctorum, vel adorationē Eucharistiæ iudicatis pugnare cum scriptura. Quæ verò auctoritate vel ratione, visum est.
^b Omnem quidem doctrinam in genere, & vniuersali quadam ratione ad salutem necessariam fatemur contineri, dū docemur Ecclesiam esse columnam, & firmamentum veritatis, & obseruanda esse quæ ab Apostolis, vel per scripturam, vel per sermonem præcepta sunt. At verò hæc omnia in speciali non continentur in scriptura, sed in traditione Apostolorum, vel in explicatione posteriorum conciliorum, vt nomen hominum, Christum, atque unctiones, quæ adhibentur in baptismo, &c. eiusmodi

eiusmodi alia. Alioqui, qui nihil vultis recipere, nisi quod scriptū est, ipsum Euangelium Matthæi vbi scriptum sit, à Spiritu sancto esse, & non Thomæ, vel Nicodemæ iudicate, idem quæ de cæteris omnibus libris scripturæ? Quod si in his stans iudicio Ecclesiæ, quæ fundamentum sunt fidei, cur non in cæteris eius stabitur auctoritati?
^c Nullus catholicus arbitrio alicuius hominis permittit interpretationem scripturæ, sed consensui Ecclesiæ, & traditioni Apostolorum, iuxta quam summi pontifices interpretari debent sacram scripturam.
^d Pro sententia Spiritus sancti nullius hominis sententiam amplectimur, nisi constet Spiritum sanctum per eum locutum: at consensum Ecclesiæ non dubitamus à Spiritu sancto esse, qui habitare facit vnanimes in domo.
^e Vtilis, inquit, est, sed non inde habetur quod omnia contineat, quod si dixeris, ex illis verbis vt perfectus sit homo Dei, & ad omne opus bonum instructus, quia si perficit, & instruit ad omne opus, nihil restat. Respondemus ita esse, quia instruit scriptura traditiones ipsas sequendas esse, vt Pau. ipse Thel. testatur, & eidem etiam Timotheo, vt habes in assertionem catholicam.
^f Mirandum est, quod tam audacter hoc asseratis, & tam faciliè, meritoque eadem facilitate contemnendum, nam primum constat, non omnes Apostolos scripsisse, & tamen prædicarunt omnes, deinde neque ipsi, qui scripserunt probantur omnia scripsisse. Imò Paulus aperte contrarium dicit ad Timotheum, vt habes in assertionem catholicam, & testatur Dion. Euseb. & antiquorum plurimi, pauca esse scripta ab Apostolis, nec Christus vnquam præcepit eis, vt scriberent, sed prædicare inquit. Et quam indignè sentit de animis hominum, de Ecclesiæ firmitate, de operatione Spiritus sancti, qui non putat solidius, & firmitus teneri posse, quæ cordibus mandantur fidelium, dicente Paulo, hæc comenda, &c. quā quæ membranīs, aut tabulis? Denique Evangelica lex, testante Ezechiele propheta, non scripta, sed indita est cordibus, nec ad eius essentiam pertinet scriptura aliqua, quanto enim tempore sine scriptura Evangelica lex fuit enuntiata? Imò vt antiquissimus Irenæus lib. 3. aduersus hæreticos, cap. 4. diligentissime, & verissime considerauit, vsque hodie apud omnes Barbaros sine scriptura est lex Evangelica, neque enim quidquam Apostoli ipsis scripserunt, sicut enim Græcè loquens, aut Hebræicè non loquitur Barbaris, ita eisdem linguis scribens, ordinationi, inquit, ille Apostolorum assentiunt, multæ Barbarorum gentes, eorum qui in Christum credunt, sine charactere, vel atramento scriptam habentes, per Spiritum in cordibus suis salutē, &c. multa eo loco prædictus pater sanctissime docet, quæ alijs etiam citamus in catholica nostra assertionem.

VVIR TENBERG.

tu necessaria sunt, in scriptis Prophetiis, & Apostolicis contineantur. Chryso. ad Titum Hom. 1. Manifestabit temporibus suis verbum suum, in prædicatione quæ credita est mihi. Hæc est prædication, * Omnia enim Euangelion continet, & præsentia & futura, honorem, pietatem, fidem, simul omnia prædicationis verbo conclusit. Hieronymus ad Titum cap. 1. Sine ^a auctoritate scripturarum ^c garrulitas non habet fidem. August. super Ioan. capi. vndecimo, tract. 49. Nam cum Dominus Iesus multa fecisset, non omnia scripta sunt, sicut idem ipse sanctus Euangelista testatur, multa Dominum Christum & dixisse, & fecisse, quæ scripta non sunt, ^d electa autem sunt, quæ scriberentur, quæ saluti credentium ^e sufficere videbantur. Nam quod aiunt, ius interpretandæ scripturæ esse penes summos pontifices, non est obscurum, quod donum interpretandæ scripturæ non sit humane prudentiæ, sed sancti Spiritus. Vnicuique, inquit Paulus, datur manifestatio spiritus ad utilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, &c. & Spiritus sanctus autem est liberrimus, nec est ad certum genus hominum alligatus, sed distribuit dona hominibus, pro

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Euangelium verum est, sed non scriptura Evangelica, ubi statim obserua Chrys. nihil hic de scriptura Evangelij docisse, imò magis de prædicatione tantum loqui, nostri vero ij doctores consuetudine illa, quæ Euangelium ad scripturam semper referunt, ita excutunt, ut vbi cum que verbum hoc Euangelij audierint, mox quasi scripturam audiant, putant se triumphasse. Sed quis non videat, quam longè hæc diuersa sunt. Et quis non intelligat ex tantis testimonijs in assertionem catholicam, multa tradita esse verbo, quæ non sunt scripta. Chrys. hic, inquit, omnia verbo prædicationis conclusit, nihil dixit de scriptura.

^b Hic apertius nominat scripturam, sed reijciamus ergo ex hoc verbo traditiones Apostolorum, si non habent auctoritatem scripturæ, at vero & Paulus iubet seruari tradita etiam verbo sine scriptura, & Timotheo

theo

SCHOLIA CATHOLICA.

103

theo præcipit, quæ audiuit a se commendare fidelibus hominibus, non scribere, ut habes in assertionem catholicam.

^c Bene inquit garrulitas, sed non grauitas patrum, testimonia scilicet eorum, quos apostoli docuerunt, non auctoritas Ecclesiæ, non denique certa ratio, hæc enim omnia fidem habent, etiam si ea, quæ asserunt non sint in scriptura: est enim in scriptura Ecclesiæ esse columnam, & firmitatem veritatis, audiendos patres, & obtemperandum rationi, quicquid sine ijs est, garrulitas est. Videat quisque ne garriat in rebus tam serijs.

^d Vide electa dicere Aug. fuisse ex gestis saluatoris, quæ sufficerent, ut scriberentur, non vero ex omnibus alijs. Igitur quantum attinet ad ea, quæ respiciunt Christi præsentiam in mundo, fatemur ex hoc verbo Aug. scripta esse, quæ sufficerent, sunt verò præter hæc multa alia, de quibus Aug. non loquitur.

^e Sufficiunt quidem, sed ut diximus in vniuersali, ibi enim scriptum est de firmitate Ecclesiæ: porte inferi, &c. de auctoritate Petri, & prælatorum, in gubernandis hominibus ad salutem æternam: tibi dabo claves, &c. Et quidquid solueritis, &c. hæc mittunt nos ad suscipienda ea, quæ ab Ecclesiâ, & patribus tradita sunt.

^f Verum est, Spiritus sancti esse, ut rectè interpretetur quis scripturam, potest nihilominus studio, & diligentiâ, atque lectione acquiri hæc scientia, ut quis nouerit qualiter interpretati sunt scripturam patres, quos Ecclesiâ recepit, & quia Spiritus probandi sunt, ad hanc patrum sententiam exigenda est illa Spiritus sancti reuelatio, quam quisque potest sibi putare factam, & cum de hoc dubium est, patrum scilicet, & Ecclesiæ sensum indicare, debet necessariò à maioribus, ut tandem sit vnitas in Ecclesiâ.

^g Verum est, sed idem ipse non est Deus dissensionis, sed pacis, sicut Paulus ait, se omnibus Ecclesijs sanctorum docere, primo Corinth. 14. & propterea ait, quod Spiritus prophetarum prophetis subditus est, quare ibi ordinat, ut alij loquantur, & alij iudicent, & omnia præcepit ordinare fieri in Ecclesiâ, non igitur libertas hæc Spiritus sancti aufert Ecclesiasticum ordinem, nec facit, ut non dederit Deus in Ecclesiâ primum Apostolos, secundò prophetas, Tertiò doctores, ut sint diuersi gradus, nec aufert auctoritatem prælatorum, quare merito in Ecclesiâ statutum, ne quis indifferenter docendi officium usurpet, ubi certum est contineri interpretationem scripturæ, nemo, inquit, usurpet nisi sit missus, nec inuisibilis Spiritus sancti missio credenda est, nisi visibilibus signis ostendatur, ut hæc omnia Innocent. 3. sanctissime quidem, & necessariò declarat, in cap. Cum ex iniuncto, de hæreticis in decreta libus.

fuo

fuo ipsius beneplacito. Numer. vndecim. Quis tribuat, vt omnis populus prophetet, & det eis Dominus spiritum suum? Iudicum 4. Debora, mulier, vxor Laphoth, excitator in Prophetam. Amos 7. Non sum propheta, & non sum filius prophetae, sed armentarius ego sum, vellicans sycomoros, &c. Et tamen Amos accepit Spiritum sanctum, & factus est propheta. 1. ad Corinti. 12. Hæc omnia operatur vnus, & idem spiritus, distribuens vnicuique prout vult. Testantur etiam exempla, quod summi Pontifices sæpe, ac multum fœdè errauerint. Quare donum interpretandæ scripturæ non est in ordinem summorum Pontificum ita concludendum, vt

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hoc magis est affectus. quidam hominis non querentis propriam gloriam, sed animarum salutem, at verò non hic significatur efficax voluntas, vel ordinatio Dei, aut prophetae, nam eo ipso loco septuaginta viros de senioribus iubet Dominus eligi, quos tu, inquit, nosti, quia senes populi sunt & magistri, quibus detur de Spiritu Moysi, vnde Gregor. vt habes apud Glossam ordinariam: Fidelis, inquit, prædicator optat, si fieri valeat, vt veritatem, quæ solus loqui non sufficit, orationum sonent, si fieri, inquit, valeat, quia scilicet Dei, & Ecclesiæ ordinatio aliud exigit.

b Hoc & in veteri, & in lege noua constat fuisse mulieres prophetissas, sed Paulus omnibus inhihet in Ecclesia loqui, & vult, vt ij prophetarum Spiritus ordinentur per Ecclesiam, & iudicentur, interea verò, Deboram speciali lege constat non solum prophetam, sed & iudicem fuisse, nec dubitamus Spiritum sanctum hoc posse, & facere quidem, quando id aperte manifestat Ecclesiæ.

c Hoc figura quedam est eorum, quæ in Ecclesia geruntur, in qua non successione generis, sed electione ministeria Ecclesiastica traduntur, cum in lege veteri sacerdotia, & frequenter prophetiæ donum generatione traduceretur. Quot sunt hodie in Ecclesia episcopi, doctores, spirituales viri, qui dicere possunt, non sum filius prophetae, sed pastor? Aduerte tamen non hinc haberi quidquam contra ordinem Ecclesiasticum: verè enim Amos constitutus est propheta, quanquam non ex genere prophetarum, sicut constituuntur hodie sacerdotes. At verò si vos amici vultis hinc colligere, licere pastori, aut alicui ex vulgo usurpare sibi doctoris, vel ministri nomē, vel officium, quid aliud est quam

adula,

adulari, & ita decipere simplices absque vlla certa ratione. Nos fateamur in Ecclesia ex genere pastorum, & simplicium hominum fieri ministros, & dispensatores legitima vocatione, & electione Ecclesiæ: Quod si dixerit quis, a Deo se eligi, opus est manifestatione Spiritus ad vtilitatem Ecclesiæ, alioqui magis tuncendum est illi, ne sit de quibus dicitur: non mittebam eos, & ipsi euebant. Deinde si hinc vultis colligere, minoris faciendum esse studium scripturæ, & expectandum esse hanc inspirationem, quæ satis sit. Respondeat vobis August. in prologo de doctrina Christiana, & Apostolos, & sanctorum multos, a Deo sine humano ministerio didicisse Euangelium, omnesque linguas, non tamen propterea nobis licet ita Deum tentare, vt nolimus in Ecclesia ire audiri Euangelium, aut eos, qui exposuerunt legere. Caueamus, inquit ille, tales tentationes superbissimas, & periculosissimas, multis enim exemplis scripturæ, vt ipse ibi ostendit, ordo hic Ecclesiæ, & ratio suscipiendi Diuina a ministris confirmatur.

d Sed nunquid propterea turbandus Ecclesiæ ordo, aut est Deus dissensionis: habes ibi quod superius diximus, subditum hunc esse Spiritum prophetis, & Ecclesiæ ordinationi: itaque ipsi Ecclesiæ primo est manifestandus, & ab ea probandus: deinde collocandus in ordine suo, & gubernandus, hoc autem velle auferre, quid est aliud quam omnia confundere. e Fateamur hoc, quia nullum vult Deus securum reddere in hac vita, sed omnibus dicitur, qui se putat stare, videat ne cadat, ceterum aliud est, vt priuatum hominem, errare, aliud, vt vicarium caput Ecclesiæ, pro Christo definire dubia: in quo non est Deo difficile per malos, & errantes verum, & iustum definire, quod in Balaam, & Caipha in scriptura videmus, vel saltem errorem hunc Ecclesiæ manifestare, vt tandem & vniuersalis ipsa Ecclesia, & Romana etiam sedes vel emender, vel electo errante, veram, & sinceram teneat fidem. Quod inter ipsos pontificum errores, quos nimium certè exaggeratis, experientia nos docuit vsque in hodiernum diem. Errauit Marcellinus papa idolis thurificas, sed penituit, & cedere volens, non est permissus, ita etiam vsque in hodiernum diem, nullus pontificum error potuit aut Ecclesia, aut dignitati ipsi, et sedi pontificis detrahare fidei stabilitatem, quam confirmat Christus. f Concludendum donum Dei non dicimus, sed auctoritatem, & potestatem definiendi publice controuersitas, si quilibet haberet in Ecclesia, aut interitum esset ad quem pertineat, quis dubitat omnia confusa fore in Ecclesia, multo magis si nullus hanc auctoritatem haberet, expendite itaque ista. Si ita est, quod oportet in Ecclesia nunquam deesse certum iudicem, qui cogitari potest non esse hoc prouisum a Christo? Quod si ita est, cui putare debemus eum hoc contulisse, quam cui dixit: Pasce oues meas, &c. & quæ latius in assertione catholica sequenti cap. habes,

quisquis

quisquis Pontifex fuerit, scripturâ rectè interpretetur. Sed vera sententia scripturæ querenda est, in ipsa scriptura, & apud eos, qui diuino spiritu excitati, scripturam per scripturam interpretantur.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Quid hoc verbo rogo intelligitis, an Lutherum, & vestros doctores, hos fortè asseritis excitatos Spiritu, sed quàm sit hoc incertum, ne falsum dicâ, non potestis negare, rejicit ille patres, & concilia, quibus verò magis adhibenda fides, istis an illi? Ergo apud excitatos Diuino spiritu querendus scripturæ sensus, sed ita vt Spiritus ostendatur Ecclesiæ testimonio. Rectius itaque diceretur apud orthodoxos patres, in eorum consensu qui Ecclesiæ & sanctitate, & miraculis sunt commendati, de quo aliàs diximus, querendum sensum scripturæ.

b Potest quidem nonnunquam ex vna scriptura altera explicari, verum id aut non semper, aut certè non ita, vt non possit etiam aliter precipuè à contentiosis intelligi. Ita vt nisi certum iudicium sit, nunquam dubia terminari possint: quare nolle extra scripturam quidquam audire, est ipsam etiam scripturam negare, quæ Ecclesiæ tribuit auctoritatē, est Spiritum eius auferre, qui in Ecclesia semper viuunt, & operantur. Denique multa etiam sunt extra scripturam in traditione querenda, & maximè ea, quæ ad scripturæ intellectum pertinent. Certè August. 3. de doctrina Christiana, cap. 8. in verbis scripturæ ambiguis, quæ scilicet distingui, aut pronuntiarî diuersimodè possint, primò dicit consulendam regulam fidei, vt si quæ pronuntiatio, aut distinctio illi sit contraria, rejiciatur, vt in illo loco: amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso, Aduerbum hodie, non ad verbum dico, sed ad verbum eris referendum est. Iam verò regula fidei vnde sumenda sit docet. Ex scripturarum iniquis, planioribus locis, & Ecclesiæ auctoritate, vbi aperte vide intellexisse Aug. nō semper scripturam sufficere, vt seipsam interpretetur, sed confugiendum esse etiam ad auctoritatem Ecclesiæ.

DE SACRA SCRIPTURA. CATHOLICA.

Scripturam sacram catholica fides illam agnoscit, quæ continet noui, & veteris instrumētī libros, quos à Spiritu sancto editos Ecclesia agnoscit, & veneratur. Et quanquam inter hos illi primum locum teneat, de quibus nunquam dubitatum est, quosque semper omnes susceperunt Ecclesiæ, nec tamen propterea quos non omnes

nes susceperunt extra canonicos habere debent consentientes Ecclesiæ filij, si eos posteriori tempore constat susceptos esse in Ecclesia, vt canonicos. Hanc sacrâ scripturam non dubitamus Spiritus sancti esse reuelationē, sic Ecclesiam, omnesque ad plenam sibi adhibendam fidem obligantem, vt non dubium sit, omnem doctrinam illi contrariam rejiciendam esse. Hanc scripturam agnoscit vera fides admirabili Spiritus sancti consilio scriptam, vt maximè saluti hominum conueniebat. Quare multa in ea & difficilia, & obscura: partim hoc ipsum intendente Spiritu sancto, ad exercendos pios, & repellendos impios, partim permittente malitiæ hominum constat inueniri, quo fit vt ad vnitatem fidei tenendam necesse sit in Ecclesia esse ius, & potestatem certam, & constantem ad interpretanda hæc dubia, & hæc apud summos eius gubernatores, non vt quisque pro arbitrio suo id faciat, sed pro ipsius Spiritus sancti sensu. Eadē quoque Spiritus sancti dispensatione mirabili ita in hac scriptura iacta sunt fundamenta omnium, quæ ad salutem sunt necessaria, vt tamen multa extra eam credenda tradita sint Ecclesiæ. 2. Ad Thessalonicenses 2. Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam nostram, non itaque omnia scripta sunt, & de traditionibus frequens est in ijs Pauli ad Thessalonicenses epistolis mentio. Et in Pauli doctrina. Act. 16. de Paulo, & qui cum illo erant dicitur: quum transirent ciuitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & senioribus. 2. Ad Timotheū 2. Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt alios docere, non dixit quæ scripsi, vel scripto tradidi, sed verbo tantum, quæ audisti, non dixit tu commenda mo-

CATHOLICA.

nimentis literarum, sed hominibus fidelibus. Lex Euangelica magis est cordibus indita Spiritu sancto interius docente, docebit vos omnem veritatem. Apostoli huic Spiritus sancti interiori instinctui innixi sunt, unde secunda ad Corinthios tertio, ita inquit Paulus: Epistola estis Christi ministrata à nobis, & scripta non atramento, sed Spiritu Dei viui, non in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carnalibus. Quare iniuriam facit dignitati Evangelicæ, & Apostolicæ, & apertè imponit, qui docet Apostolos scripto tradidisse posteritati cuncta, quæ verbo docuerunt, & acceperunt à Christo. Dionysius primo capite de Ecclesiastica Hierarchia: Substantia sacerdotij nostri scriptura sacra est, nobis diuinitus tradita. Porro huiusmodi, plena venerationis eloquia dicimus, quæque à beatissimis patribus nostris, à quibus sacris mysterijs imbuti sumus, in sanctis, ac Theologicis commendata sunt libris. Ac præterea, quæque ab ipsidem sanctissimis viris, sacratiore, & purgatiore, & propinqua quodammodo cælesti Hierarchiæ doctrina, sancti duces, ac præceptores nostri didicerunt, ex animo in animū, medio intercurrente verbo, corporali quidem, sed quod carnis penitus excedat sensum, sine literis transfusa sunt. Eusebius libro tertio Ecclesiasticæ Historiæ capit. vicimo quarto: Venerabiles, & Deo digni Apostoli Christi, quū essent in omnibus puritate vitæ, & animæ virtutibus clari, non magni pendebant sermonis ornatum, & cæt. Parui ducētes plures libros condere, quod huiusmodi prædicationis assertio, non argumento humani sermonis, sed ad stipulatione Diuinæ virtutis indigeat. Postea dicit, de Paulo quā pauca scripserit: sed & reliqui, ait, Domini Saluatoris discipuli, si qui sermonem aliquem diuinitus inspirati memoriæ reliquerunt, breuem hunc,

&

CATHOLICA.

106

& succinctum esse voluerunt. Augustinus in Epistola prima ad Ianuariū, quæ est 118. capit. primo, & quinto. Illa autem, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi vel ab ipsis Apostolis, vel plenarijs concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata, ac statuta retineri. Vbi ponit exempla quædam, & secundo loco ita inquit, interrogatus de quibusdā obseruantijs: Ad hæc itaque ita respondeo, vt quid horum sit faciendum, si Diuinæ scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum, & cæt. Et post pauca: Similiter etiam, si quid horum tota per orbem frequentat Ecclesia, nā hoc quin ita faciendum sit disputare insolentissimæ insanix est. Fatetur igitur vera fides, rectam interpretationem scripturæ non nisi à Spiritu sancto illuminante corda hominum esse, & eundem nulli generi hominum alligatum, quia tamē vna omnium Christianorum esse debet fides, & vnica confessio, ne quisq; sensum suū sequatur, necessarium est publicum magisterium, & certos ministros, ad quos pertineat docere in Ecclesia, inter quos, quum ordinem oporteat esse, non dubitamus ad summos pertinere, quæ inter alios de scripturæ sensu, & fide dubia sunt definire, auctoritate scilicet, cui non liceat repugnare. Ad Ephesios quarto. De Christo ita inquit Paulus: Dedit quosdā quidem Apostolos, quosdā autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores, & doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in edificationem corporis Christi, donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi, vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia

P

2

homi-

hominum, in astutia ad circumuentionem erroris. Vide itaque aperte & necessitatem certi generis ministrorum, & rationem eius, ad vitandam scilicet doctrinarum varietatem. Primæ ad Corinthios decimoquarto. Itaque fratres mei æmulamini prophetare, & loqui linguis nolite prohibere, omnia autem honestè, & secundum ordinem fiant in vobis, vnde ibi ordinat qualiter in conuentu Ecclesiæ, & Prophetæ, & cæteri dona habentes proponere, & loqui debeant, ne alij alios impediât. Non est, inquit, dissensionis Deus, sed pacis, sicut in omnibus Ecclesijs sanctorum doceo. Absit itaque ab Ecclesia confusio Babylonica, quam ponunt ordinem omnem in definiendis dubijs auferentes. Primæ Ioannis quarto. Charissimi nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sunt, quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum. Et Dominus in Euangelio non solum attendi iubet à falsis prophetis, qui veniunt in vestimentis ouium, sed apertius postea de diebus vltimis admonet: surgent pseudoprophetæ, & pseudochristi, & seducent multos. Et de vero admonens remedio, si dixerint, inquit vobis: Ecce in deserto est, nolite exire. Manifestè docens non in conuenticulis priuatis, sed in Ecclesiæ vnitatem quærendam esse veritatem. Primæ ad Corinthios duodecimo. Nunquid omnes Apostoli? nunquid omnes prophetæ? nūquid omnes doctores? & cetera. nunquid omnes interpretantur? negans aperte in Ecclesia hanc esse confusionem, sed quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primū quidem Apostolos, secundū Prophetas, & cetera. Absit verò vt sine ordine iam reliquerit Deus Ecclesiā. Quod igitur summi Pontifices quandoque errauerint, nec negare, nec excusare volumus, qui non dubitamus eos homines esse, qui fallere, & falli possunt.

sunt. Hoc tamen certa experientia agnoscimus, & firma fide tenemus, cathedram illam Petri, quæ à Christo stabilita est vsque ad consummationem seculi, nunquam ita fuisse erroris alicuius labe maculatam, vt non semper ab ea doctrinæ veritas emanauerit in omnes alias Ecclesias, implente perpetuò Petro per successores, quod etiā propter illos ei præcipitur à Christo. Tu aliquando conuersus confirma fratres tuos. Donum igitur interpretandi scripturam, infusum scilicet à Spiritu sancto, & scientiam acquisitam, & humano studio ad hoc ipsum agendum, non ita tribuimus summo Pontifici, vt alijs auferamus, sed non dubitat fidei pietas, vel Spiritum sanctū non defuturum illis, quos primos constituit doctores in Ecclesia sua, si illi non resisterint, vel si per eos steterit non defuturum Ecclesiæ. Cæterum auctoritas, & potestas definiendi dubia fidei ne sit perpetua confusio in Ecclesia, & incertitudo in vnum tandem collocata est, non vt solus, illè hoc agat, sed vt illius auctoritate fiat, adhibito consilio conuenienti. Modus itaque querendi veram scripturæ sententiam, in ipsa scriptura, & apud eos, qui per Spiritum sanctum scripturā per scripturam exponunt, primò incertus est: quilibet enim dicet se excitari Diuino spiritu, deinde neque Ecclesiæ sufficiens & vnitati fidei, sed aptus vt vnusquisque sensu suo abundet. Vnde Clemens discipulus, & successor Petri epistola quinta ita inquit: Multas enim, quidam, vt audiuius, vestrarum partium, secundum ingenium hominum, exijs, quæ legunt, veri similitudines capiunt, & ideo diligenter obseruandum, vt lex Dei quum legitur non secundum propriam ingenij intelligentiam legatur, vel doceatur, &c. Et post multa in hanc sententiam tandem ita ait: & ideo oportet ab eo intelligentiā discere

CATHOLICA.

Scripturarum, qui eam à maioribus secundum veritatem sibi traditam seruauit, vt & ipse possit ea, quæ rectè suscepit, competenter asserere. Hæc quidem ille de discendo scripturæ sensu, cum scilicet priuatim queritur, cum autem publicè controuertitur in Ecclesia, publicum est iudicium, & summum, ad summum etiam Pontificem pertinere testantur multi patres, & res ipsa docet.

DE SUMMO PONTIFICE. VVIRTENBERG.

SVnt qui tribuunt Romano Pontifici, quod sit caput vniuersalis Ecclesiæ, & habeat potestatem non in terris tantum constituendi regna politica, & gubernandi Ecclesiastica, verum etiam in cælis mandandi Angelis, liberandi animas è purgatorio, & beandi, aut damnandi quoslibet. Nos autem agnoscimus, quod siquidem Roma. pont. fuerit vir sapiens, & docuerit Euangelion Christi, iuxta prophetica & Apostolica scripta, habeat ministerium summe in hac terra potestatis, videlicet ministerium remittendi, & retinendi peccata, quo ministerio non est in his terris nec maius, nec excellentius. Habet autem hoc ministerium non solus, sed habet & commune cum omnibus ijs, qui legitima vocatione adnuntiant Euangelion Christi. Ministerium enim remittendi, aut retinendi peccata, quod aliàs vocatur clavis regni cælorum, non est liberæ potestati personæ hominū

SCHOLIA CATHOLICA.

A Hoc illi tribuit consensus Ecclesiæ, testantibus etiam, primis illis summe auctoritatis concilijs, nam in Ephesino, & in Chalcedo. aperrè & legatè Romani pontificis suscipiuntur primo loco, & hæc eius auctoritas in omni Ecclesia cognita fuit. Imò Nicænum, & Constantinopolitanū hoc agnouerunt, & Episcopi qui eis presentes fuerunt, nam ex Nicæno Athana. postea iniquè damnatus, ad sedem Romanam appellat, & ad eam tanquam ad superiorem recurrit. Vide epistolam Iulij ad Episcopos Aegypti, & librum 4. historie tripartite, maxime 15. cap. ubi relictis manibus licet schismaticis, tamè Athanasius, & Iulius prævalent, Constan-

SCHOLIA CATHOLICA.

108

stantinopolitana etiam synodus id ipsum confessæ est, vt in literis etiam ipsius ad Damasum papam patet, quam habes lib. 9. historie tripartite, cap. 9. habes etiam in assertione catholica fide digna patrum testimonia. **b** Legimus nonnunquam aliqua circa hæc acta esse à pontificibus, consentientibus regnis ipsis, Zacharias Pipino regnum Franciæ adiudicat: Leo 3. imperium Carolo mag. concessit: Innocent. 4. Reg. Portugaliæ minus idoneo fratrem coadiutorem constituit, vt habes in cap. Grati de suppl. negligent. in 6. Hæc igitur iuste, & sanctè facta esse ostendit consensus omnium seculorum, quo etiam fit manifestum, quàm digni fuerunt veneratione pontifices, illi. Cum itaque non dukium sit, temporalia omnia ad spiritualia ordinari, qui summam erga illa potestatem habet, necesse est, vt tanquam architectus & de temporalibus iudicet, secundum quod ad spiritualia necessarium est, & constat ex historijs, hanc auctoritatem vtilem fuisse Ecclesijs, qua pontifices raro vsi sunt, & non nisi in manifestis causis.

c Hoc iam apertè calumnia est, & sycophantia, super terram fatemur papam potestatem habere, in hac tantum Christi vicarius est, Paulus dixit Angelos iudicabimus, sed illud ad Demones magis referunt patres.

d Et hoc nullus modestè loquens tribuit pontifici, potest quidem de thesauro satisfactionis Christi, & sanctorum suffragium aliquod defunctis conferre, vt habet Ecclesiæ consuetudo, & pietas Christiana, neque hoc iuste negare potest, qui cum Ecclesia agnoscit, pijs operibus videntium adiuvare defunctos.

e Hoc iam non tantum calumnia, sed irrisio, & re vera conciliatio inuidiæ populorum in pontifices. At bonorum erat, scandala potius auferre, quàm obijcere paruulis.

f At vos ipsi conceditis, & fides catholica probat, per malos ministros perfici Sacramenta Christi: cur in summo pontifice exigitis pietatem, nisi vt omnia reddatis incerta?

g Commune quidem fatemur, sed multò superius, vt in assertione catholica habes.

h Hic omnia confunditis, primum elauis plura continet, quàm remittere, aut retinere peccata, nam condere Ecclesiasticas leges ad salutem populi, damnare hæreses, definire dubia, ordinare ministros, & multa alia ad potestatem pertinent clauium: deinde, & ipsa potestas remittendi, & retinendi peccata, nec tota, nec re vera propriè in prædicatione Euangelij collocanda est, vt superius iam ostendimus: nam illa ad iudicium confessionis propriè pertinent, quod instituitur ad cognoscendum an retineri, vel remitti debeant: de quo superius satis, & in ijs rationibus omnibus vera fides summo pontifici primatum tribuit.

traditū: sed est in ipsum Euangelij verbū ita inclusum, vt quorquot Euangelion adnuntiant dicatur verē peccata remittere, & retinere, illud quidem his, qui Euangelion fide accipiunt, hoc autem his, qui Euangelion contem-
nunt. Marci vltimo. * Prædicate Euangelion omni creaturæ: qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur. Hilar. de Tri-
nitate lib. 6. Petro reuelauit Pater, vt diceret: Tu es Fi-
lius Dei. ^b Super hanc igitur confessionis petram Eccle-
siæ ædificatio est: Hæc fides Ecclesiæ est fundamentum:
hæc fides regni cælestis habet clauēs: hæc fides quæ in
terra soluerit, aut ligauerit, ea ligata sunt in cælis, & so-
luta. Chrysostomus. * Clauicularij sunt sacerdotes,
quibus creditum est verbum docendi, & interpretandi
scripturas. ^d Clauis autem est verbum scientiæ scriptu-
rarum, per quam aperitur hominibus ianua veritatis.
August. de doctrina Christ. lib. 1. cap. 18. Has * clauēs de-
dit Ecclesiæ suæ, vt quæ solueret in terra, soluta essent in
cælo, quæ ligaret in terra, ligata essent in cælo, scilicet vt
quisquis in Ecclesia eius dimitti sibi peccata non crede-
ret, non ei dimitterentur: quisquis autem crederet, se quæ
ab his correctus auerteret, in eiusdem Ecclesiæ gremio
constitutus, eadem fide, atq; correctione sanaretur. Am-
brosius: ^f Peccata per verbum dimittuntur, cuius inter-

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Hoc aliud est ab illo: quorum remiseritis peccata, vt superius ostē-
sum est, prædicatio ad doctrinam, remissio peccatorum ad Sacramen-
tum, & iudicium pertinet.

^b Fatemur & verum esse, & Hilariū asseruisse: super hanc fidem ædi-
ficari Ecclesiam, & ei tribui clauēs, eamque soluere, & ligare, quoniam
primò nullum verum Ecclesiæ membrum est sine hac fide, potestas ve-
rò soluendi, non nisi in Ecclesia est, quæ, vt dicimus, hac fide subsistit,
sed non ex ijs sequitur Petrum non esse fundamentum, aut illi non co-
ferri clauēs, vtrumque enim ipse Hilarius fatetur, vt in catholica asser-
tione habes, non itaque illa contraria sunt, sed in altero alterum est in-
telligē-

telligendum. Petrus est fundamentum, fundatus ipse primò in fide, &
fides est fundamentum, in qua & Petrus, & omnes subsistimus.

^c Fatemur, sed Petrus supremus, vt ipse fatetur Chrysost. & habes in
assertione catholica.

^d Aduerte tamen de clauī in singulari loqui Chrys. dixisse quod
posteriores iam apertius docent, primam clauem esse scientiam, quæ
præcedere debet: primò enim cognoscenda est veritas à prælatis, siue
ministis, & docenda, deinde vtendum est potestate, quam secundam
clauem merito dixerunt Theologi: veritas igitur aperitur per scientiā
vt hic Chrys. inquit, at verò post cognitam veritatem gratia remissio-
nis sacramentorum administratione confertur.

^e An non promiscuè per singula eius mēbra exercendas, sed per mini-
stros, si verū est eos in Ecclesia esse, quod iā frequenter probauimus.
Quis itaq; nō videt, quod vni mēbro datur, rectè dici toti corpori dari,
aut quis nō intelligat, propterea quod dicatur dari aliquid corpori, nō
intelligendū esse singulis mēbris datū esse itaq; clauēs dari Ecclesiæ, ni-
hil habet vnde auctoritas ministrorū auferri possit, inter eas verò supre-
ma est summorū pontificū, quā Aug. confirmat, vt habes in asser. catho.

^f Verissimū est peccata dimitti per verbū, dū per verbū ad penitentiā
excitatur audietes & ad orandū, & tandē remissio peccati, postea per
verbū ipsum sacramentale, nō ergo in sola prædicatione remissio peccati.

^g Fatemur Leuitam expositorem esse, siue ad diaconum referatur, si-
ue ad sacerdotem, nam & ille adnuntiare potest Euangelium, vt ipse
Ambros. inquit in 4. cap. epistolæ ad Ephes. Exponat igitur vterque
& diaconus, & sacerdos verbum, sed potestatem remittendi per Sacra-
mentum habet solus sacerdos, sed quid hæc omnia ad auctoritatem
summi pontificis negandam? Habent omnes hanc potestatem, sed qui-
bus in Ecclesia confertur, sed ordine, ita vt vnus supremus sit, quod ip-
se Amb. fatetur, vt habes in catholica assertione, in qua Hilariū. Chrys.
Aug. Amb. Bernar. citamus consistentes apertè summi pontificis aucto-
ritatem, quos vos etiam hic citatis quasi negantes, vt appareat primū
conferenda esse doctorum inter se dicta, nec facile esse apparentibus
verbis iudicandum quid illi senserint. Deinde quod prætermittere nō
possumus, vt vos sincerè admonemus iuste accusari aut negligentie
nimis quod non legatis tam aperta patrum testimonia, aut certe mali-
tiae, quod data opera abscondatis tam certa, quæ nos adduximus horū
quinque patrum testimonia, certissima sunt, & sincerissima, quæ ve-
rò vos adducitis non nisi collectione quadam, & infirma quidquam
probant, non semper patres meminerunt auctoritatis pontificis, nec
oportebat omni loco eius fieri mentionē, nō tamen propterea negasse
censendi sunt, cum maxime ostenderimus eos alibi disertè id docuisse.

VVIRTENBERG.

pres, seu expositor est Leuita. Bernardus in Epist. ad Eug. Verus successor Pauli dicit cum Paulo: non quod dominemur fidei vestrae, sed adiutores sumus gaudij. Petri haeres audiet Petrum dicentem: neq; vt dominantes in clerum, sed forma facti gregis. Thomas^b in summa sua parte 3. in additione quæ. 6. ar. 6. Quia Ecclesia fundatur in fide, & in Sacramentis, ideo ad ministros Ecclesiae novos articulos fidei edere, aut editos remouere, aut noua Sacramenta instituere, aut instituta remouere non pertinet: sed hoc est potestatis excellentiæ, quæ soli debetur Christo, qui est Ecclesiae fundamētum. Et ideo sicut Papa non potest dispensare, vt aliquis sine baptismo saluetur, ita nec quod saluetur sine confessione, secundum quod obligat vis Sacramenti. Et si^a autem Thomas suas habet opiniones de cōfessione, tamen hoc quod dicit: ad ministros Ecclesiae, (inter quos etiam Papam numerat) non pertinere novos articulos fidei condere, & noua Sacramenta instituere, verè est Apostolica, & catholica sententia. Nam ad ministros Ecclesiae non pertinet ex vocatione Christi aliud ministeriū, quàm quod suprà de remittendis, & retinendis peccatis commemorauimus, & quo Apostoli ipsi functi sunt. Quod si præter hoc ministerium aliquid amplius Roma. pont. tribuitur, hoc aut cōceditur ei humanis ordinationibus, aut confectū est à monachis, & adulatoribus, contra verbi Dei auctoritatem.

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Sanctissimè Bernar. admonet pontificem, vt non se dominum, sed ministrum arbitretur, hoc non est adulatoris, & tamē de suprema eius auctoritate quod sentiat, & quàm manifestè habes in asserctione catholica, non hæc contraria sunt, quod summam habeat potestatem, & quod non sit dominus, est enim suprema ministerialis potestas.

^b Hæc beati Thomæ doctrina non minus omnibus nobis catholica placet.

SCHOLIA CATHOLICA.

110

placet, & probatur, quàm vobis: declaratio solū articulorum fidei, & explicatio maior fieri potest à Romano pontifice, & de ratione ad ministrandum sacramentorum, salua Christi institutione, aliquid censere, sed nouum aliquid erga hæc fieri nequaquam.

^c Hoc superius ostendimus, non esse opinionem, sed catholicam sententiam, de necessitate scilicet confessionis.

^d Hoc pariter omnes volumus, sed inde nihil contra auctoritatem pontificis, qui superioritatem habet in explicandis fidei articulis, ad ministrandis sacramentis, & disponendi de ratione administrationis eorum, quod si hoc recipitis, beati Thomæ solius, sed optima ratione fundatum verbum, recipite etiam quod de primatu Romani pontificis, auctoritate plurimorum patrum docet, vt habetis in asserctione catholica, suscipite quod q. 1. art. 10. in 1. 2. affirmat, quod quæstio fidei exorta terminari debet per eum, qui præest toti Ecclesiae, vt sit totius vnafides, atque ideo ad summum pontificem pertinere editionem symboli, & omnia alia, quæ concernunt totam Ecclesiam, vt synodi congregatio.

^e Imò ostensum est, plura alia ad eos pertinere ministeria, quàm Euangelij prædicationem neque ipsum ministerium remittendi, & retinendi peccata est Euangelij prædicatio, vt vos asseritis, quod satis probauimus.

^f Suprema potestas omnium, quæ saluti fidelium conueniant à Christo creditur data summo pontifici, ab ijs patribus, quos citauimus, imò ab omnibus alijs orthodoxis, & concilijs etiā, vt superius ostendimus, ite igitur, & vocate Hilarium, Aug. Amb. Atha. Cyril. aut monachos, aut adultores, & dicite eos contra auctoritatem verbi ista confinxisse.

DE SUMMO PONTIFICI. CATHOLICA.

Agnoscat vera, & catholica fides, certa scriptura auctoritate, & patrum omnium consensu, atque conuenientissima ratione, quod Christus Dominus, qui Ecclesiam suam vnice dilexit, & firmissimè usq; ad finem seculi duraturam fundauit, nec quidquam quod ad bene institutam Rempublicam pertinere potest non concessit, eidem Petrum vicarium suum, atque visibile caput loco sui, vt curam vniuersalis Ecclesiae in corpore hic peregrinantis gereret, constituit, ita vt hoc in perpetuum in Ecclesia permaneret. Quare in Petro etiam eius successores Ro-

mani

CATHOLICA.

mani scilicet Pontifices hoc ipsum acceperunt, ut caput sint vniuersalis Ecclesiæ, & summam habeant potestatem in ijs, quæ ad gubernandam Ecclesiæ, & fideles ad pietatem, & salutem dirigendos, pertinent. Et si autem ad eos pertineat prædicatio Euangelij, quod summum est Ecclesiæ ministerium, non tamen hoc solum esse muneris Petri, & successorum, neque hoc solo eos remittere, & retinere peccata, sed etiam administratione Sacramentorum, & legum conuenientium editione, denique cura, & solitudine auertendi à malis, & promouendi ad bona populum Christianum, vera etiam fides agnoscit. Simulque confitetur, quod quanquam ad hæc omnia digne Deo agenda necessaria sit pietas vera, atque adeo sanctitas, non tamen si hæc defuerit, aut gradum suum amittit, aut minus efficacia sunt, quæ ex officio operantur ijs vicarij Christi, sicut & ceteri ministri. Hanc igitur potestatem, quæ nomine clauium regni celorum à Christo domino significata est, agnoscit vera fides, quod non solum successores Petri habent, sed ceteri etiam Episcopi, & sacerdotes, iuxta gradum suum. At verò isti in Ecclesia, aut plebe aliqua sibi commissa, illi in omnes populos Christianos, atque ita superiorem quam reliqui omnes Episcopi, quos tanquam oues etiam gubernare habent, non quod hoc sit liberæ suæ potestati commissum, multo verò minus permissum voluntati, aut libidini, sed in ædificationem solum, iustaque ratione omnia ita tenetur agere, ut si secus fecerit, & se, & alios peccato inuoluat. Matth. 16. & Ioan. 21. Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: & portæ inferi non præualebunt aduersum eam: & tibi dabo clauces regni celorum: & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in caelis: Pæce oues meas. In vltimis igitur ijs verbis intelligunt

CATHOLICA.

III

gunt patres, omnes oues commissas Petro, & ibi impletum quod promissum fuerat priori loco apud Matthæum: Et hæc omnia non vni Petro, sed ijs, qui illi successuri erant in hoc munere Ecclesiæ necessario. Hilarius in locum Matth. 16. Tu es Petrus, &c. Dignum planè confessio Petri præmium consequuta est, & post pauca Petro loquens: & in nuncupatione noui nominis, felix Ecclesiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ inferni leges, & tartari portas, & omnia mortis claustra dissolueret. O beatus cæli ianitor, cuius arbitrio clauces æterni aditus traduntur, cuius terrestre iudicium, præiudicata auctoritas sit in cælo, ut quæ in terris aut ligata sunt, aut soluta, statuti eiusdem conditionem obtineant in cælo. Chrysostomus in locum eundem Matth. Homil. 55. Quæ Deus concedere solus potest, peccatorum scilicet remissionem, & ut futura Ecclesia tot, tantisque fluctibus impetu irruentibus immobilis maneat, cuius pastor, & caput piscator, homo, atque ignobilis, terrarum orbe reluctante, adamantis naturam firmitate superet, hæc, inquam, omnia, quæ solius Dei sunt se pollicetur daturum. Et mox adductis ijs, quæ ad Hieremiam dicuntur: Sicut columnam ferream posui te, & cæter. Ita inquit: Sed ipsum quidem genti vni pater, hunc autem vniuerso terrarum orbi Christus præposuit, & tandem omnia concludens, ita inquit: tu verò mecum ex ijs omnibus quanta sit potestas eius intellige, ego tibi dico, inquit: Tu es Petrus, & ego super te ædificabo Ecclesiam meam. Et ego tibi dabo clauces regni celorum. Similiter idem in locum Ioan. 21. Homil. 87. exponens illud: «Sequere me,

Hic aperte Petrum vocat fundamentum, & eidem asserit datas clauces.

SCHOLIA.

a Idem quod Hilarius asserit Chrysostom. super eum ædificari Ecclesiam, ipsi dari clauces, pastorem esse, & caput totius Ecclesiæ, & totius terrarum orbi præpositum.

ita

ita ait: quibus verbis iterum curam, & familiarem affectum in eum ostendit, quod si quis percontaretur, quomodo Iacobus sedem Hierosolymis acceperit, responderem hunc totius orbis magistrum præposuisse, & postea quum magna Christus Petro communicasset, orbis terrarum curam demandavit, &c. August. libro primo contra duas Epistolas Pelagianorum ad Bonifacium, capit. primo: Quum verò non desinant fremere ad Dominici gregis caulas, atque ad diripiendas tanto pretio redemptas oves, aditus undecunque rimari, communisq; sit omnibus nobis, qui fungimur Episcopatus officio, quamvis ipse in eo præmineas celsiore fastigio speculæ pastoralis. Secundo etiam libro de baptismo contra Donatistas, capit. primo, & Cypriani, & suum sensum manifestissime explicans ita inquit: Magnum meritum Cypriani Episcopi, & martyris, sed nunquid maius, quam Petri Apostoli, & Martyris, de quo idem Cyprianus in Epistola ad Quintum ita loquitur, Nam neque Petrus, inquit, quem primum Dominus elegit, & super quem ædificavit Ecclesiam suam, cum secum Paulus de circuncisione disceptaret, vendicavit sibi aliquid insolenter, & cæ. Postea ipse Augustinus ita loquitur, ceterum magis vereri debeo, ne in Petrum contumeliosus existam: quis enim nescit illum Apostolatus principatum cuilibet episcopatu præferendum? Denique extant tres Epistolæ ad Innocentium, ex concilijs Africanis duæ, tertia familiaris quinque Episcoporum, quibus omnibus Augustinus subscribit, ubi agnoscunt auctoritatem Romani Pontificis, ut Innocentius ipse illis respondit, de quo & ipse Augustinus Epistola 106. vel Bonifacio, vel Paulino scripta, meminit: Missæ sunt, inquit, de hac re relationes ad Apostolicam sedem ex duobus concilijs, scripsimus

psimus etiam ad beatæ memoriæ Papam Innocentium litteras familiares, ad omnia nobis ille rescripsit, eo modo, quo fas erat, atque oportebat Apostolicæ sedis antistitem. Ambrosius in locum Pauli: quæ est columna, & firmamentum veritatis, primæ ad Timoth. 3. Cum totus mundus Dei sit, Ecclesia tamen domus eius dicitur, cuius hodie rector est Damasus, & idem in sermone de fide Petri, denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarum Petro dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim dicitur, eo quod primus in actionibus fidei fundamenta posuerit, & tanquam saxum immobile totius operis Christiani compagem, molemq; contineat, &c. Bernardus libro secundo de Consideratione. Quam aperte catholicam hanc fidem confiteatur non est opus referre, cum ex professo de hoc specialem habeat tractatum, ita igitur inquit in principio Eugenio pontifici: Quis es? sacerdos magnus, summus pontifex, tu princeps Episcoporum, & inter multa alia: potestate Petrus, tu es cui clauces traditæ, cui oves credite, sunt quidē et alij celi janitores, et gregū pastores, habet illi sibi assignatos greges singuli singulos, tibi vniuersi crediti, vni vnus, nec modò ouium, sed & pastorum tu vnus omnium pastor. Thomas in opusculo contra errores Græcorum. Quod Roma. pont. successor Petri, & Christi vicarius sit, primus, & maximus omnium Episcoporum, & in tota Ecclesia Christi potestatis plenitudinē obtineat, ostendendū est auctoritatibus doctorum Græcorum, quod ibi facit adductis auctoritatibus Calcedonensis concilij, Chrysostomi, Cyrilli, Maximi, & tandem ita concludit. Hæc negantes, auctoritatem scilicet plenariā Romæ pontificis, peccant contra vnitatem corporis mystici, quæ certè non est minus catholica, & Apostolica sententia, quam illa, quod

CATHOLICA.

quod nec novos articulos fidei edere, vel noua instituere Sacramēta, aut aliquid de ijs remouere possit, quod nullus recte intelligens vnquam negauit, aut si negauit, semper in catholica Ecclesia reiectus est. Ex ijs igitur, quale sit ministerium summi pontificis, iuxta patrum sensum, satis ostenditur, etsi enim in vsu clauium retinendis scilicet, & remittendis peccatis, & in pastu omnium ouium recte includatur, multa tamen alia continet præter prædicationem Euangelij, de quibus dictum est, quæ etsi alijs ministris conueniunt, singulariter, & excellenter non adultores, sed catholici patres illi tribuunt.

DE ECCLESIA: VIR-
TENBERG.

CRedimus, & confitemur quod vna sit sancta catholica, & Apostolica Ecclesia, iuxta Symbolum Apostolorum, & Nicænum. II. Quod hæc Ecclesia à Spiritu sancto ita gubernetur, vt etsi sint eam esse in his terris imbecillem, conseruet tamen eam perpetuò, ne vel erroribus, vel peccatis pereat. III. Quod huic Ecclesie in hac terra multi mali, & hypocritæ admixti sint. IIII. Quod hi mali, & hypocritæ, si ministerium Ecclesie legitima vocatione susceperint, veritati Sacramentorum per se nihil incommodi asserant, nisi institutionem Christi peruertant, & impia doceant. V. Quod in hac Ecclesia sit vera peccatorum remissio. VI. Quod hæc Ecclesia habeat ius testificandi de sacra scriptura. VII. Quod hæc Ecclesia habeat ius iudicandi de omnibus doctrinis, iuxta illud: Probate spiritus nū ex Deo sint, & ceteri dijudicent. VIII. Quod hæc Ecclesia habeat ius interpretandæ scripturæ. Sed vbi hæc

a Hic

SCHOLIA CATHOLICA.

113

a Hic est certissimus articulus fidei, quem vnam veraciter confiteamini, fiet autem si probè, & vnitatem eius, & ipsum nomen Ecclesie agnoueritis, quod sequentia nobis ostendent, ne diuinemus.
b Hæc quæ ad sanctitatem pertinent Ecclesie sufficienter explicatis, & certissima sunt.
c Hæc etiam similiter, fatemur, nec propterea quidquam detrahitur sanctitati Ecclesie, est arca paleam, & triticum continens, est sagena ex malis, & bonis piscibus congregans.
d Igitur etiam impius pontifex non caret potestate clauium, quod superius vix estis negare, iam verò illud etiam aduertite, fieri vos legitimam vocationem esse necessariam, & merito quidem illud dicatur, nō mittebam eos, sed, &c. Legitima verò an sit vocatio, quæ non deriuatur continua successione à primis patribus vocatis à Christo, ipsi iudicate, aut certe audite iudicium Tertullia. in lib. de præscriptionibus hæreticorum: Edant inquit ille, pseudoapostolis, & hæreticis loquens. Origines ecclesiarum suarum, euoluat ordinem Episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, vt primus ille Episcopus aliquem ab Apostolis, vel Apostolicis viris, qui tamen cū Apostolis per seuerauerit, habuerit auctoritatem, & antecessorem, hoc enim modo Ecclesie Apostolicæ census suos deferunt, sicut Smyrnorum Ecclesia Polycarpum, à Ioanne collocatum refert: sicut Romanorum Clemensem, ordinatum à Petro, id & proinde, vtique & ceteræ exhibent, quos ab Apostolis in Episcopatu constitutos Apostolici seminis traducea habeant, confingant tale aliquid hæretici, hæc itaque propter legitimam vocationem, quam fatemini, ex Tertullia hic adducenda putamus.
e Etiam & hic, quia confunditis doctrinam cum Sacramentis, impia docentem, veritatem Sacramentorum dicitis auferre, quum tamen tota Ecclesia à schismaticis, & hæreticis perfici non dubitet.
f In Ecclesia quidem, sed per ministros exhibetur, vt satis superius ostensum est.
g Hæc tria cupimus vos re ipsa, & non verbis tantum fateri, nam ita erunt pacata omnia, primum itaque si vultis hoc promiscuè Ecclesie concessum, & omnibus eius membris, vt per omnes exerceatur, vbi & ordo, quem Paulus tam aperte docet in Ecclesia, quod si verè ordinatè hoc ad Ecclesiam pertinet, per prælatos opus est vt fiat, qui omnes quæ à summo dependant, habemus iam certum iudicium, quod quia nullo modo pati vultis, videte in quæ cogamini inconuenientia?

Q Eccle-

VVIRTEBERG.

Ecclesia sit querenda, & an iura eius sint certis terminis circumscripta, alij aliter sentiunt. Arbitramur autem auctoritate sacrae scripturae, & veterum patrum sentiendum esse, vere catholicam, & Apostolicam Ecclesiam non ad vnum certum locum aut gentem, nec ad vnum certum hominum genus alligatam esse, sed in eo esse lo-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Christus nos admonet, vt Ecclesiam non nisi in manifesto agnoscamus, est ciuitas supra montem posita, & candelabrum, nō itaque opus, est alio lumine, quā ipsa, quae alia illuminet. Nec certe rationem ipsam Ecclesiae aduertitis, est enim collectio hominum, atque ideo manifestum opus est, vt sit sensibus. Deinde est vna, & mutua eius primaque membra certissima sunt, quia ergo iam dubitari potest, quae sit, nisi quae ab illa prima deriuatur, & illi consentit in fidei confessione, & sacramentorum vsu visibiliter, & manifesta, ob hoc desideramus in vobis synecram confessionem & vnitatis, & collectionis fidelium.

b Si dubitandum putatis, an quidquid conueniat Ecclesiae per omnia eius membra exerceatur, vt scilicet eius iura nō sint certis terminis circumscripta, iterum confunditis Ecclesiam, & ex ea facitis Babylonem, quare hoc non est in dubium vertendum, nec illud certe ab aliquo vertitur in dubium, non ad vnam tantum gentem limitatam Ecclesiam, vt olim Iudeorum synagoga fuerat, sed ad fines orbis terrae extendi, & in Christo Iesu non esse Iudeum, aut Gentilem, sed omnes vnum in ipso. Itaque vestra haec questio, & sententiarum diuersitas, eorum est, qui manifeste omnia tenebris conantur obducere, fateamini vnam collectionem hominum esse Ecclesiam, eamque ordinatissimam, & perfectissimam, & nihil est de quo dubitetis in ea agnoscenda.

c Hoc certissimum est, vt August. contra Donatist. frequenter enunciat ex prophetis promissionibus, ex semine tuo benedicentur omnes gentes, & illud: dominabitur a mari vsque ad mare, & rursum: magnum est nomen meum in gentibus, & in omni loco offertur, &c. Et Esaias praecipue frequenter de hoc loquitur: Dedit te in lucem gentium, vt sis salus vsque ad extremum terrae, & videbunt gentes iustitiam tuam, & cuncti reges inclinant eum, &c. His testimonijs confutati sint illi, in Africa tantum, & inter se volentes esse Ecclesiam Christi, quoniam ab illa vniuersali se separabant, & certe arguuntur omnes, qui in Ecclesia Christi, ex diuersitate nationum, aut conditionum, inuidiam aliorum

in

SCHOLIA CATHOLICA.

114

in alios aut excitant, aut augent, aut denique pro viribus non extingunt, quod vnam non aliquando apud vestros videremus. Si omnes vnum sumus in Christo, quorsum illa nomina Romani, Itali, & similia? imo cur & concilium nationale, quod non pendeat a supremo capite, & vniatur ceteris Christiani orbis nationibus. Quod non aliter fieri potest, quā per illam subordinationem, qua vni capiti vicario Christi successor Petri obediunt omnes, vt sicut Paulus inquit: Ex Christo totum corpus copactum, & connexum, per omnem iuncturam subordinationis, secundum operationem in mensuram vniū cuiusque membri, augmentum corporis faciat in edificationem sui, in charitate, quae ideo dicimus, vt aduertatis eos, hanc Ecclesiae Christi vniuersitatem, hoc nomen catholicum, maxime impugnare, qui in nationes volunt eam diuidere, quod faciunt qui nationalia concilia, non communicantia ceteris Ecclesijs, cogitant.

d Si hoc verbo intelligatis cognationem, aut familiam, certum est, sicut praecedentia. Interim tamen Ecclesia Christi alligata est ad Christianos, ad eos videlicet, qui veram profitentur fidem. Itaque est hoc certum genus hominum, quanquam melius dici potest, certa religio, a Mahumetica, & ceteris distincta, capit tamen & Turcas, & Scythas, & ceteras nationes cum ad Christum venerint. Itaque hac ratione fatemur non alligatam Ecclesiam ad certum hominum genus, hic tamē admonemus simpliciores, vt caueant absconditum laqueum, quem nisi alias aperte ab ijs consentientibus positum aduerteremus, liceret hic praeterire, Ecclesia igitur, quia vt diximus, humana est congregatio, habet praelatos, & superiores suos, ij sunt ministri Christi, & dispensatores ministeriorum Dei, vt Paulus inquit, ijs alligata est Ecclesia, teneant eos totus populus audire docentes, & dirigentes ad salutem, alligata est ijs tota Ecclesia non minus, quā quaelibet alia Respub. suis capitibus, & gubernatoribus, vt quod illi fecerint dicatur tota Ecclesia facere. Quis enim ita desipiat, vt cum irrideat, & pro nihilo ducat, quid quid populus tumultuans seditiosus agit, separatus a suorum principum obedientia. Irrideat etiā, si ille populus alios sibi libidine sua praeficiat magistratus, putet in Ecclesia ordinatissima Respub. & maxime vnā esse, quod vel populi, vel priuati aliqui separati a ministris Christi fecerint, & probet tanquam ministros legitimos, quos pro sua voluntate populus a prioribus separatus erexit. Cum igitur hoc alienum sit ab omni ratione, fateamur Ecclesiam alligatam certo generi hominum scilicet ministris Christi legitimis, vt sine illis non sit Ecclesia, quae ideo latius prosecuti sumus, quia ostendunt radices schismatis.

Q 2

co,

VVIRTEMBERG.

co, aut gente vbi Euangelion Christi ^a synceriter predi-
catur, & Sacramenta eius recte, iuxta institutionem Chri-
sti, ^b administrantur. Ioannis 10. Scriptum est: Ego dixi,
Dij estis. Illos dixit Deos, ad quos factus est sermo Dei,
&c. Ergo ibi est populus, seu Ecclesia Dei, vbi sermo
Dei ^c predicatur. Ioannis 15. Iam vos mundi estis pro-
pter sermonem, quem locutus sum vobis. Sermo igitur
Christi, qui est Euangelion, demonstrat vbi sit Ecclesia,
quæ ^d coram Deo sit munda. Ad Romanos 1. ^e Euan-
gelion est potentia Dei, ad salutem omni credenti. Vbi
igitur est Euangelion quod agnoscitur fide, ibi Deus
habet Ecclesiam, in qua est efficax ad æternam salutem.

SCHOLIA CATHO-
LICA.

^a His satis responsum est in assertionem catholicam, Arriani dicebant se
synceriter predicare Euangelium, reliquos omnes corrupisse, & ita ca-
teri omnes hæretici, quomodo igitur hoc potest esse Ecclesie manifes-
tatio quod maxime obscurum est. Ecclesiam verò oporteat esse certā.
Fatemur hæc duo semper esse coniuncta, veram Ecclesiam, & syncerā
predicationem verbi, at verò synceritas verbi magis agnoscitur ex ve-
ritate Ecclesie, quàm e contra, quod præcipuè Irenæus & Tertul. nota-
runt in illis locis, ex quibus nonnulla adduximus in assertionem catholicam
apud solam veram Ecclesiam est vera sacra scriptura, inquit illi, &
vera traditio.

^b Idem & de hoc dicimus, vt etiam habes in assertionem catholicam, vos
dicitis Sacramentum baptismi non recte, & iuxta Christi institutionem
tradi, nisi in sola aqua sine chrismate vilo, nos contrariū dicimus, nos
accepisse à patribus continuam successionem, quomodo igitur hoc signo
decernatur Ecclesia? nam vos plūs quàm omnes alij in omnibus Sacra-
menti separationem fecistis, alia omnino negantes, paucioribus, quæ
recipitis, aliter vtentes. Adducitis itaque signa, quæ aperte agnoscitis
maximè incerta esse, quid ergo agitis, quàm vt nunquam inueniatur
Ecclesia, & ita nulla controuersia terminetur? Miserrima certè conditio

SCHOLIA CATHOLICA.

115

tio esset Ecclesie, si ita sentiamus. Igitur confugire, vt in assertionem cat-
holicam dicimus, ad originem Ecclesie, ad successionem non interrup-
tam, quā constat relinquere eos, qui hæreses sequuntur, novas scilicet
doctrinas, quæ Apostolorum tempore non sunt audite, nam vt Cys-
prian. inquit lib. de simplicitate prælatorū non enim nos ab illis, sed illi
à nobis recesserunt, & cum hæreses, & schismata postmodū nata sint,
eum conuenticula sibi diuersa constituūt, veritatis caput, atque origi-
nem reliquerunt, inueniamus igitur originem doctrinæ, & potestatis
ministorum, & veram agnoscamus Ecclesiam.

^c Prædicatur, inquam, à legitimis ministris, alioqui qui non intrant
per ostium, sed aliunde ascendunt, rapere querūt, & occidere, separa-
re ab vnitatem, quare nos merito putamus, satius locutionem hanc con-
uertendam, vt dicamus, ibi sermo Dei legitime prædicatur, vbi est po-
pulus, siue Ecclesia Dei. Prius itaque est illa agnoscenda, & ex ea iudi-
canda auctoritas, & veritas prædicantis, nunc scilicet stabilitatiam per
Apostolos Ecclesia, nam à principio ibi erat vera Ecclesia, vbi Aposto-
li docebant, nunc verò quando alij docent, vt agnoscamus an fures
sint, illud cogitandum est, an ad Ecclesiam pertineant, quod cognoscis-
mus verè ex successione, vt dictum est. Itaque vbi est hæc Ecclesia Apo-
stolis succedens, ibi est verum Dei verbū, re vera vt superius diximus,
hæc duo simul coniuncta sunt, sed in cognitione nostra Ecclesie veritas
præcedit, iuxta primum sensum, quem in assertionem catholicam cita-
uimus, quod etiam nō piget frequenter admonere, quia ad fundamen-
tum pertinet, & radicem præsentium malorum, & illorum remedium
ostendit.

^d Pulchra collectio, sermo mundat audientes, inquit Christus, sed Ec-
clesia est mundacorā Deo, ita enim assumunt, ergo sermo, qui est Euan-
gelium demonstrat vbi sit Ecclesia, si demonstrat, quia mundat, ergo
ei demonstrat coram quo mundat: At dicitis vos coram Deo, ergo
Deo demonstrat, non nobis, re vera munditia non potest signum esse
Ecclesie, quæ abscondita est, merito enim clamat Ecclesia: Nigra sum,
sed formosa, sicut tabernacula Cedar, &c. quod si sanctitas non est si-
gnum Ecclesie, nec verbum Dei propterea erit signum, quia sanctis-
eat, sed destituebantur in hoc loco scriptura: auctoritatibus, & ideo
confugerunt ad communia loca.

^e Hic est etiam locus communis, quod colligunt, verissimum est, vbi
est Euangelium est vera Ecclesia, quod sæpe iam falsi sumus, sed vbi
est verum Euangelium? dicunt forte, fide agnoscitur, eadem etiam ag-
noscitur Ecclesia, sed quid prius? certe Ecclesia, si patribus credimus,
vt sæpe dictum est.

Q 3

Chry.

Chrysostomus in commentario in Euangelion Matth. cap. 24. Homil. 49. Quare hoc tempore omnes Christiani conferre, se ad scripturas debent, quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi scripturæ Diuinæ. Et postea: Qui ergo vult cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, vnde cognoscat nisi tantummodo per scripturas? Aug. Tom. 2. Epist. 166. In scripturis didicimus Christum: in scripturis didicimus Ecclesiam, has scripturas communiter habemus, quare non in eis & Christum, & Ecclesiam communiter retinemus? Et iterum Tom. 7. in epist. contra Epistolam Petiliani Donatistæ, cap. 2.3. & 4. Inter nos, & Donatistas quæstio est, vbi sit Ecclesia, Quid ergo facturi sumus? in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui Domini nostri Iesu Christi? Puto quod in illius potius verbis quærere debemus, qui veritas est, & optimè nouit corpus suum. Quod autem affirmatur, Ecclesiam habere ius testificandi de sacra scriptura, interpretandi scripturam, & iudicandi de omnibus doctri-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Primò, hoc est secundo commentario Chry. in Matth. qui etsi multa cõtineat arguta, cõtinet multa apertè heretica, & Arriana, quare à multis creditur heretici alicuius esse potius, q̃ Chry. aut certè admista sunt Chry. verbis aliena aliqua, igitur illud semper fuit moris hereticis, ad scripturas prouocare, vt Tertull. inquit, quia faciliè trahi possunt in diuersos sensus, hoc facit iste in verbis citatis, quare magis reiicienda sunt, & vocandus ipse ad traditionē, & successionem agnoscendā, & hoc omnino nobis videtur, quoniam hæc verba nullam esse probationem Christianitatis, nullum refugium ad cognoscendam veritatem fidei, nisi scripturæ Diuinæ, non consonant patribus, nec antiquis concilijs, quæ vt sæpe diximus, ad traditionem, & consensum doctorum semper confugiunt, quod si omnino verba hæc Chry. aut catholici alicuius sunt,

sunt, possunt verum habere sensum, vt dicta sint, contra eos, qui rationationibus philosophicis, & argutij humanis fidē tractant, tales erant plurimi Arrianorū, hoc igitur docet relinquendum, quod sæpe Chry. solet admonere, & in scriptura vera fides quærenda: sed in scriptura, prout à patribus traditur, & explicatur in Ecclesia.

b Per scripturas, inquit, non propterea quod scriptura nō sit nisi apud Ecclesiam, est etiam apud hæreticos quamquam non rectè intelligatur. Quis verò rectus sit sensus ex Ecclesia habemus, per scripturā ergo Ecclesia cognoscitur, tantummodo quoniā ibi probatur eius veritas, probatur origo, ex quibus non potest non agnosci: nam si vna est, & in Apostolis primò incepit, necesse est, vt ab eis deriuetur, cõtina, & nunquam interrupta successione, sicut riuus à fonte, vt Cypria. inquit.

c Apertus est sensus Aug. in eo loco agit, vt probet Ecclesiam vniuersalem esse, & in omnibus gentibus, quod ex scriptura dicit probari pluribus locis citatis de Christo capite, & totidē de hac Ecclesia, quæ corpus eius est per omnes gentes diffusa. Igitur certissimum est, testimonijs scripturarum ostendendum esse vbi sit Ecclesia, quod iam facimus, ostendentes eā catholicam, & Apostolicam esse, & ab Apostolis deriuari.

d Hoc nunc etiam & nos dicere possumus, quare cū Christum apertè in scripturis agnoscamus, non etiam Ecclesiam agnoscamus, potestis quidem vos in nos hanc culpam reiicere, & certabimus verbis, sed nos cum August. eo loco dicimus vobis: vbi agnouimus Christum in eo, quod scriptum est: ego sum veritas: ibi agnouimus Ecclesiam: vbi dictum est: quod sit columna, & firmamentum veritatis: vbi agnouimus Christum, vbi scriptum: vocauit discipulos suos, & elegit ex ipsis, quos Apostolos nominauit, ibi agnouimus Ecclesiam, in eo quod scriptum est: superædificati super fundamentum Apostolorum: vbi agnouimus Christum, in eo quod scriptum est: quod videntibus discipulis suis eleuatus est: ibi agnouimus Ecclesiam, in eo quod scriptum est, apparuisse Apostolis dispersitas singulas, sedisse quæ super singulos eorum Spiritum sanctum, & appositas esse illa die animas circiter tria millia, quæ omnes erant perseverantes in doctrina Apostolorum, & Dominus agebat, qui salui fieret quotidie in idipsum. Agnoscamus idipsum illud, de quo loquitur, agnoscamus congregationem, cui nos coniunctos esse, & à qua deriuari oportet omnia membra.

e Hæc frequenter August. contra Donatistas, sicut præcedente loco, dicit, in verbis Christi ostenditur Ecclesia, non quod illa sit, vbi quis quæ prædicantur, sed quod ex auctoritatibus scripturæ vniuersalis Ecclesiæ, origo eius ab Apostolis, & vnitas ostendantur, quæ sunt certè eius signa, vt dictum est.

nis, non sic intelligendum est, quod Ecclesia habeat liberam potestatem quidvis statuendi, ac etiam si libeat mutandi scripturam, & fingendi nouam doctrinam, ac instituendi nouos cultus Dei: sed quod Ecclesia ut spōsa Christi agnoscat vocem sponsi sui, & acceperit à sponso suo certā regulā prophetiā^b videlicet, & Apostolicā prædicationem, celestibus miraculis confirmatam, iuxta quam debeat obscura, si quæ videntur loca scripturæ, interpretari, & de doctrinis iudicare. Psalm. 118. Lucerna pedibus meis verbum^c tuum. Ad Romanos 12. Habentes dona, iuxta gratiam datam nobis, varia, siue^d Prophetiam, iuxta analogiam fidei. 2. Petri 11. Habemus^e firmiorem sermonem Propheticum, cui dum attenditis, ceu lucernæ apparenti in obscuro loco, rectè facitis, &c. Origenes in Hieremiam Homil. 1. Necessè est nobis scripturas^f sanctas in testimonium vocare, & sensus quippe nostri, & enarrationes sine his testibus non habent fidem. Hieronymus in Matth. 23. ^b Quod sine auctoritate scripturæ dicitur, eadem facilitate contemnitur, qua dicitur. Augustinus de nuptijs, & concupis. lib. 2. cap. 23. Ista controuersia iudicem quærit, iudicet ergo Christus, & cui rei mors eius profecerit ipse dicat: Hic est, inquit, sanguis meus, &c. Et mox: Iudicet eū illo & Apostolus, quia & in Apostolo ipse loquitur Christus, clamat, & dicit de Deo patre, qui proprio Filio, &c. Quare Ecclesia sic habet auctoritatem iudicandi de doctrinis, ut tamen contineat se intra^k metas sacre scripturæ, quæ est vox sponsi sui, à qua voce nulli, ne Angelo quidem fas est recedere.

SCHOLIA CATHOLICA.

^a His omnibus consentimus, & consenserunt semper omnes sobrie loquentes: vos ipsi citastis superiore cap. B. Thomæ sententiam de hac re, quare quod hoc admonere libenter accipimus, agnoscite tamen

VOI

vos primū à nobis admonitos fuisse, quod hic sit sensus sobrie catholicorum doctorum.

^b Hoc secundum etiam valde probamus, & agnoscimus optimè explicari Ecclesiæ auctoritatem circa hæc, huius tamen cupimus vos etiā admonitos, ut quā propriè, & verè dixistis: prophetiam, & Apostolicam prædicationem, regulam esse interpretandi scripturam, & iudicandi de doctrinis, ita etiam prudenter sentiat, hanc prophetiam, & Apostolicam prædicationem non idem esse, quod scripturam, latius patet prædictio, quā scriptura, de quo sæpius superius diximus, quod solum si aduerteritis, facile erit in omnibus conuenire.

^c Verbum inquit, non scriptura, unde & Ioannes, ut habes in assertione catholica, quod audistis, inquit, ab initio, &c.

^d Si hoc adducitis, quo probetur, prophetiā, hoc est, vel reuelationē, vel interpretationem scripturæ, fide esse regulandam, verissimum est, & ita fatemur, quidquid in ijs non consonat regulæ fidei, alienum est. At fides non tantum de scripturis est, sed etiam de traditionibus: Ex auditu inquit Paul.

^e Sermonem inquit, non scripturam, semper enim hæc videmini confundere, quum sæpe etiam ostenderimus, quanta sit differentia sermonum, habemus non tantum in scriptura, sed etiam memoria, & cogitatione, quæ sunt tabulæ cordis carnalis.

^f Ita fatemur ex scripturis confirmanda esse omnia. Inde auctoritas Ecclesiæ, inde & traditionis Apostolicæ auctoritas, quum igitur consensu omnium patrum probamus traditionem, iam ex scriptura sequitur recipiendam eam esse.

^g Igitur sensum proprium hic rejicit, contra eos, qui illi innuntur loquitur, ac sensus Ecclesiæ, & enarratio non est priuata, nec est sine scripturis testibus, ex quibus firmitas Ecclesiæ in fide probata est.

^h Verissimum est, sed quorsum hoc, vultis ne intelligi contemnendū esse etiam si ostendatur Apostolica traditio? non puto vos credere Hieron. hæc sensisse, loquitur ibi Hier. de historijs, vel narrationibus laicorum. Ex quibus quidam exponunt locum illum, sanguinem Zachariæ filij Barachæ, &c. de Zacharia patre Ioannis Baptiste. Illa, inquit, pari facilitate, qua dicuntur, & contemnuntur, longè ab ijs consensu omnium patrum, & Apostolica traditio de christmate baptismatis, de oratione pro viuis, & defunctis. Hæc frequenter vobis dicimus, quoniā si hæc sobrie aliquantum expendere, magna esset nobis aperta concordia via.

ⁱ Cave ne intelligas Ang. sentire in controuersijs esse querendum iudicium Christi, quasi in Ecclesia non sit iudex, absit hoc, voluit Aug. probare paruulos reos nasci peccati, eā quā pro illis mortuus fuerit

P 5

Chri.

Christus, quod Pelagia negabāt. Hoc probat Aug. ex illo loco Christi: Hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum, quo significatur, nullum participem sanguinis Christi, nisi qui peccato obnoxius est, adducturus ergo hanc auctoritatem, dicit. Iudicet Christus, sicut mox adducturus auctoritatem Pauli, dicitur dicens: Paulus. Hinc igitur colligamus, quod ubi est auctoritas aperta scripturae, per eam indicanda sunt dubia, ubi verò non est aut est obsecra, ex traditione, & patrum consensu iudicat Ecclesia. Est verò locus uterque 33. cap. secund. lib. de nuptijs, & concupis. ad Valerianum. Et ne hic videamur Aug. auctoritate destitui, & agnoscat nos synceriter quaere patrum sensum, videte quanti ipse Augustinus faciat traditionē. Eodem lib. cap. 20. in fine, citatis quibusdam patribus, qui paruulos peccato obnoxios docent, ita inquit contra Iulianum: Hoc iste audet dicere Manicheos, & antiquissimae Ecclesiae traditionem isto nefario crimine spargit, quā exorcizantur, & ut dixi exufflantur paruuli, ut in regnum Christi a potestate tenebrarum erui trāferantur: nos autem paratiore sumus, cum istis viris, & cum Ecclesia Christi, in huius fidei antiquitate firmata quolibet male dicta, & contumelias perpeti, quam Pelagiani cuiuslibet eloquij predicatione laudari, de qua traditione Ecclesiae, exorcismorum, & abiurationis in baptismo lib. 2. contra Pelag. & Celesti. cap. 40. ita loquitur: Denique ipsa Ecclesiae Sacramenta, quae tam priscae traditionis auctoritate concelebrata, ut ea isti quamuis in paruulis existiment simulatorie potius, quam veraciter fieri, nō tamen audent aperta improbatione respicere. Ipsa, inquam, sanctae Ecclesiae Sacramenta satis indicant, paruulos a partu etiam recētissimos, per gratiam Christi a Diaboli seruitio liberari, excepto enim quod in remissionem peccatorum non fallaci, sed fidei mysterio baptizantur, prius exorcizantur etiam, in eis & exufflatur potestas contraria, cui etiam verbis eorum a quibus portantur serenuntiare respondent. Vis de itaque quanti Augustinus faciat traditionem, & qualiter ex ea tanquam certissima regula dubia fidei confirmat, nam hoc idem lib. 2. de nuptijs, & concupis. ad Valerium cap. 20. eisdē ferē verbis prosequitur, ubi de veritate sacramentorum ita inquit, quae nulla heretica nouitas auferre, vel mutare permittitur, regente, atque adiuuante capite totum corpus suum.

Hoc itaque est quod moliebamini, ut ex verbo Dei, vel sermone transferatis nos ad scripturam, cum tamen includat etiam traditionē, quare vos in charitate Christi obsecramus, nolite hęc surdis auribus pertransire, agnoscite traditiones certissimum fidei fundamentū, eas omnes pariter, & humiliter queramus in confesso patrum, ubi & quid sit nouum ostenditur, & congratulamur breui de Ecclesiae pace, &

salute

salute vestra. Quod si non vultis, per ipsa Christi viscera eos, qui hęc legerint oramus, ut velint, si nolunt salutem suam perditioni, vel certe graui periculo exponere.

DE ECCLESIA. CATHOLICA.

CONFITEMUR vera fides, iuxta scripturam, & symbolum Apostolorum, & patrum, quod vna sit Ecclesia, hoc est, congregatio omnium hominum in vera fide, & cultu vnius Dei, ab initio ipso seculi vsque ad finem conuenientium, quanquam habuerit diuersos status. Hęc verò Ecclesia nunc solum est in eis, qui Christi fidē tenēt, & secundū eam Deum colunt, ita ut quidquid de Ecclesia dicitur in scriptura, iam ad Christi Ecclesiam sit referendum. Quare & Apostolicam meritō illam credimus, quod ab illis coeperit, & ab eis congregata, & instituta sit, dicente Paulo: quod superaedificati sumus super fundamentum Apostolorum. Catholicam etiam meritō eam confitemur, quod ad nullam sit gentem, aut provinciam restricta, sed in fines terrae extendatur, iubente Christo Apostolis: Euntes in mundum vniuersum, &c. Habet hęc Ecclesia praesentiae Spiritus sancti, atque ipsius Christi secundum spiritum promissionem, ipso dicente: Ego vobiscum sum, & cetera. Et iterum: Ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum, spiritum veritatis, a quo fit, ut etsi in ea mali admisti sint bonis, nunquam tamen vel peccatis, vel erroribus fieri possit, ut non perpetuò in ea integritas fidei, & sanctitas vitae permaneat, promittente Christo: Portae inferi non praeualebunt aduersus eam. Vnde sanctam etiā meritō confitemur. Quia igitur hęc Ecclesia hominum est congregatio, & quanquam in caelestem, & diuinum finem, atque ideo virtute super humana, & verē diuina conueniant, humano tamen more ne-

cesse

cesse est eos convenire. Quare oportet Ecclesiam ipsam certam esse, visibilem scilicet & sensibus ipsis corporeis perspectam, nō min⁹ quā sunt alię humanę Respub. Auctoritas etiam ministrorum, & gubernatorum eius certa, & manifesta esse debet. Quare nec gratia, nec certē interior aliqua virtus occulta, requirenda est vel in membris, vel in ministris eius, prāter publicam, & legitimam professionem fidei, & vocationem, vt ad eam pertineāt, & vt eius munera integra perficiant. Neque enim qui plantat aliquid est, neque qui rigat, vt inquit Paulus, in hac Ecclesia, sed qui incrementum dat Deus. In vna hac Ecclesia satemur solum esse remissionem peccatorum, siue per Sacramenta, siue p̄r votum eorum, & p̄nitentiam, extra eam verō nullo modo, etiam si Sacramenta extra eam perfici non negemus, nō tamen habetur fructus eorum, sed in peccatum potius conuertuntur. Habet & hac Ecclesia magisterium viuum, & prāsens omnium eorum, quę pertinent ad salutem aeternam, quam meritō Paulus vocat columnam, & firmamentum veritatis, vnde & ipsa tradit nobis sacram scripturam, alia extra eā fidei dogmata, & interpretatur dubia circa hac, & denique iudicat, & censet de omnibus doctrinis eadem concernentibus, in quibus si erraret, prāualerent aduersus eam portę inferi, quod cū sit contra promissionem Christi, consequens est, ipsam neque errasse vnquam circa hac, neque erraturam. Quare qui in ijs Ecclesię non parent, manifestē ad inferi portas declinant. Quęrentibus igitur vbi sit hac vera Ecclesia, quasi difficilis sit cognitu, maximē cū sicut olim Donatistarum, & omnium hęreticorum tempore, ita & nunc diuersarum factionum homines contendant, asserente quolibet, apud se, & suos, & non in contraria factione esse Ecclesiam.

clesiam. Hoc itaque inquirentibus, quod sit signum Ecclesię verę: respondemus primō, fraudulentē, & subdolē dici signa certa, quibus Ecclesia dignosci potest, esse synceram Euangelij prędicationem, & rectam, atque secundum Christi institutionem administrationem Sacramentorum. Constat enim de vtroque eorum, aut de altero semper controuersum esse inter diuersa docentes. Nec illa manifestiora esse possunt, quā Ecclesia, vt ipsa nunc experientia ostendit. Noui enim Euangelici dicūt, se verum Euangelium docere, & rectē administrare Sacramenta, nos vtrumque peruersē agere: ē contrario verō nos, vt veritatem omittamus, ex cōsuetudine, & pręscriptione asserimus, non posse priuari nos apud vllum æquum iudicem hoc nomine, quod rectam, & syncerā fidem, ac Sacramenta teneamus, quę enim à patribus accepimus, illa tenemus. Deinde quęrentibus veram agnoscere Ecclesiam, & qui ad eam verē pertineant, respondemus apertē non hoc minus certum esse, & perspectū, quā quę sit vera Respub. Venetorum, aut verum regnum Gallię, siue Hispanię, vel qui ad has pertineant Respub. cū certa fides nos docuerit, non esse min⁹ manifestam Ecclesiam, quā sint humanę alię Respub. Nihil igitur aliud ad agnoscendam veram Ecclesiam certum est necesse fore, quā vt vnitatem eius attendamus, ex qua necesse est statim agnosci, qui se ab ea separant, quare sola hac certissima signa sunt Ecclesię verę & falsę, perseverantia in vnitatem, & discessio ab ea, quod Ioannes apertissimē nos docuit, qui de Antichristis loquens, ex nobis inquit prodierunt, sed non erant ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum. Vides itaque discessionem ab vnione, & perseverantiam in ea consideratam pręcipuē à Ioanne ad discernendos Antichri-

CATHOLICA.

tichristos à Christianis. Quia verò vnitas hæc Ecclesiæ non ex loco primo, & principali est, vt aliarum politiarum humanarum, quæ ex loco considerantur. Res hæc difficilis sit imbecillioribus ingenijs, vt igitur id agnoscant, vera fides, & historia certa cogitanda sunt, hæc nos docent Ecclesiam Christi primò fuisse in centum fere illis Apostolis, & discipulis, qui post eius ascensionem Hierosolymis congregati acceperunt Spiritum sanctum, ijs coniuncti sunt fide, & animorum consensu, omnes quotquot conuersi sunt in Hierusalem primum, deinde Antiochiæ, Cæsareæ, Corinthij, Ephesi, & denique quocunque terrarum peruenit hæc Euangelij prædicatio, & in diuersis nationibus, atque gentibus diuersas esse fundatas Ecclesias, sed animis primæ illi congregationi coniunctas fuisse, & ab illa suam agnouisse originem, eadem fide, & historia agnoscimus. Inter has igitur diuersarum nationum Ecclesias, illæ Apostolicæ sedes maxime dictæ sunt, quas per se instituerunt Apostoli, vt Hierosolymitana, Ephesina, Antiochena, & similes, fuit verò inter has & cæteras omnes Christianas conseruata vnio, cunctis inter se & orationibus, & Sacramētis, atque doctrina ita communicantibus, vt nihil eorum, quæ ad fidem, & necessarium cultum pertinerent, aliæ alijs inscijs agerent. Quod ita demum tota historia, & certa fides nos docent, maxime seruatum fuisse, agnoscantibus omnibus primatum auctoritatis Romanæ Ecclesiæ. Illi igitur, qui vbicunque terrarum sunt, si à primis illis Ecclesiæ fundatoribus Apostolis ita deriuantur, vt ab eis Sacramenta, & potestatem ministeriorum Ecclesiasticorum susceperunt, per medios videlicet successores eorū, vt tandem redire possint, vsque ad Apostolos, non interrupta serie legitimorum ministrorum, & eandem te-

neut

CATHOLICA.

120

nent pietatis doctrinam, quam illos in Ecclesijs suis constitit tradidisse, isti permanent in vnitate: qui verò vel potestatem deriuatam ab ijs non habent, quæ Sacramenta administrantur, vel non tenent consonam traditionem omnium Ecclesiarum primarum, discesserunt proculdubio ab vnitate, inter quas traditiones cum superius constitit, non minimam esse de primatu auctoritatis Romanæ Ecclesiæ, merito certè discedit ab vnitate, qui ab ea se separat. Matth. decimo octauo. Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcunque petierint, fiet illis à Patre meo, qui in cælis est. Vbi enim sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Concordia igitur, & vnanimitas vera signa Ecclesiæ: sed vt Cyprianus inquit in libro de simplicitate prælatorum: Quomodo potest ei cum aliquo conuenire, cui cum corpore ipsius Ecclesiæ, & cum vniuersa fraternitate non conuenit? Ad Ephesios quarto. Solliciti seruire vnitatem spiritus in vinculo pacis, & multis de hac vnitate, & diuersitate graduum Ecclesiæ additis, tandem inquit, postquam de gentium cecitate locutus est, vos autem non ita didicistis Christum, si tamē illum nouistis, & in ipso edocti estis, sicut est veritas in Iesu. Igitur vnitatis conseruatio est verum Ecclesiæ Christi signum. Iudas in Canone. Vos autem charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt vobis ab Apostolis Domini nostri Iesu Christi, qui dicebant vobis: quoniam in nouissimis temporibus venient illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus, ij sunt, qui segregant semetipsos animales, spiritum non habentes, discessio igitur proprium signum est hæretici, quàm ex ipsa nouitate efficacissimè conuincit. Cyprianus libro de simplicitate prælatorum nō ait. Nos ab illis,

ab illis, sed illi à nobis recesserunt, & cum hæreses, & schismata postmodum nata sunt, dum conuenticula sibi diuersa constituunt, veritatis caput, atque originem reliquerunt. Irenæus libro tertio aduersus hæreses, cap. 3. Traditionem itaque Apostolorum in toto mundo manifestatam in Ecclesia, adest perspicere omnibus, qui vera velint audire, & habemus enumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt Episcopi in Ecclesijs, & successores eorum vsque ad nos. Et post nonnulla: Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium Ecclesiarum enumerare successiones, maxime & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis, Petro, & Paulo, Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per successiones Episcoporum peruenientem vsque ad nos indicantes, confundimus omnes, &c. Et postea cap. 4. Tantæ igitur ostensiones quæ sint hæc, non oportet adhuc apud alios quærere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, quum Apostoli quasi in depositarium diues, plenissime in ea contulerint ea, quæ sunt veritatis, vt omnis quicumque velit sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, omnes autem reliqui fures sunt & latrones. Quid enim, etsi de aliqua modica quæstione disceptatio esset, nonne oporteret in antiquissimas recurrere Ecclesias, in quibus Apostoli conuersati sunt, & ab eis de præsentis quæstione sumere quod certum, & reliquidum est? Hæc Irenæus Lugdunensis de quo Eusebius libro quinto Ecclesiasticæ historiæ magna cum laude meminit. Quique Polycarpi Ioannis discipuli, fuit discipulus, à quo diligentissime cuncta se memoria tenere, vt refert Eusebius memorato loco, affirmat. Cypria. lib. de simplicitate prælatorum: Per

Per Apostolum præmonet Spiritus sanctus, & dicit: oportet hæreses esse, vt probati manifesti sint in vobis, sic probantur fideles, sic perfidi deteguntur, ij sunt, qui se vltro apud temerarios, & conuiuas sine Diuina dispositione præficiunt, qui se præpositos sine vlla ordinationis lege constituunt, qui nemine episcopatum dante, Episcopi sibi nomen assumunt. Idem in Epistola ad Corneliū, quæ est libri primi epistola 3. Neque enim aliunde hæreses obortæ sunt, aut nata sunt schismata, quam inde, quod sacerdoti Dei non obtemperatur, nec vnus in Ecclesia ad tempus sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur. Itaque qui sobrie de Ecclesiæ huius auctoritate sentiunt, non illi tribuunt liberam potestatem circa ea, quæ fidei, & diuini cultus sunt, vt videlicet possit vel mutare scripturam, vel nouos recipere libros, aut noua dogmata docere, sed agnoscunt Spiritum sanctum in ea manentem hoc agere, vt agnoscat, & teneat Apostolorum doctrinam, & iuxta eam scripturam interpretetur, & de nouis doctrinis iudicet. Nec tamen contrahit catholica fides hanc prædicationem Apostolicam, & Euangelium ad ea, quæ scripta sunt tantum, sed traditiones non minoris auctoritatis esse, nec minus efficaciter retineri in cordibus fidelium scriptas spiritu Dei viui, quam in membranis ipsa scripta, asserit. Primæ Ioannis secundo: Vos quod audistis ab initio in vobis permaneat, quia si in vobis permanferit, quod audistis ab initio, & vos in Filio, & Patre manebitis. Ecce quod Ioannes vocat verbum Dei non scripta solum, sed audita potius, in quibus permanere exhortatur. Primo ad Timotheum primo: Sicut rogavi te, inquit Paulus, vt remaneres Ephesi, cum irem in Macedoniam, vt denuntiæres quibusdam ne aliter, siue ne diuersa docerent. Apertè vide-

R

licet

licet ad eam, quam ipse tradiderat doctrinam cetera exigenda precipiens, nihil verò de scriptura meminit, quam vsque tunc fortè nullam scripserat. Eiusdem 6. Si quis aliter docet, & non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Iesu Christi, & ei, quæ secundum pietatem est, doctrinæ, superbus est, & nihil sciens, sed languens circa quæstiones, & pugnas verborum. Hic nihil de scripturis, sed de verbis tantum, & doctrina. Vnde secunda Epistola ad eundem cap. 3. dicit eidem: Tu autem assecutus es meam doctrinam, institutionem, &c. ubi manifestè docuisse se verbo, & exemplo dicit, & hæc suo commendat discipulo, de scriptis verò nulla est mentio. Irenæus libro tertio, capit. quarto: Quid autem si neque Apostoli quidem scripturam reliquissent, nobis nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt ipsi, quibus committebāt Ecclesias? & mox efficacissima ratione confirmat, quam sit traditio scriptura & antiquior, & efficacior, ita inquit: cui ordinationi assentiunt multæ gentes Barbarorum, eorum, qui in Christum credunt, sine charactere, vel atramento scriptam habentes per spiritum in cordibus suis salutem, & veterem traditionem diligenter custodientes. Et mox præcipuis capitulis fidei enarratis, hanc inquit, fidem, qui sine literis crediderūt, quantum ad sermonem nostrum Barbari sunt, quantum ad sententiam, & consuetudinem sapientissimi. Vbi manifestè docet, quod cum multis Barbaris Apostoli prædicauerint, multò pluribus tradiderunt fidem, & in eis constituerunt Ecclesias, quam quibus sit aliquid scriptum, cum non nisi Græcè scripserint. Tertullianus de præscriptionibus aduersus hæreticos. Primo adducto loco Pauli, hæreticum post vnam correptionem deuota, & ext. ait: Non post disputationem adeò interdixit di-

sputa-

sputationem, & assignata quadam ratione addit alteram, sic dicens: Deinde quoniam nihil proficiet congressus scripturarum, ista, inquit, hæresis non recipit quasdam scripturas, & si recipit, non recipit integras, & si aliquatenus integras, præstat nihilominus diuersas expositiones, commentata conuertit, & tandem concludit: Non ergo ad scripturas prouocandū est, nec in his constitutendum certamen, quibus nulla, aut incerta victoria est. Et mox se conuertit, vt inquirat, quomodo sint confutandi errores, & concludit ad traditionem, & consensum Ecclesiarum confugiendum esse, dicens Apostolos primum in Iudæa constitutis Ecclesijs, deinde per orbem profectos, eandem fidem prædicasse, & constituisse apud vnamquamque ciuitatem Ecclesias. Itaque tot, ac tantæ Ecclesiæ vnā esse illam ab Apostolis primam, ex qua omnes esse necesse est, sic omnes primæ, & omnes Apostolicæ, dum vnā omnes probant vnitatem, & tandem omnia concludens ita inquit: Dirigimus præscriptionem, si Dominus Iesus Christus Apostolos misit ad prædicandum, alios non esse recipiendos prædicatores, quam quos Christus instituit, quid autem prædicauerint, id est, quid illis Christus reuelauerit, & hic præscribant, non aliter probari debere, quam per illas Ecclesias, quas ipsi Apostoli condiderunt, si hæc ita sunt, constat proinde omnem doctrinam, quæ cum illis Ecclesijs Apostolicis matricibus, & originalibus fidei conspirat, veritati deputandā, & sine dubio tenetes, quod Ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit. Reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præiudicandam, quæ sapiat contra veritatem Ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. Idem post nonnulla: Agē iam qui voles curiositatē melius exercere in negotio salutis tuæ,

R

2

percurrere

CATHOLICA.

percurrere Ecclesias Apostolicas, apud quas ipse adhuc cathedra Apostolorum suis locis praesidentur, apud quas authenticæ literæ eorum recitantur, sonantes vocem, representantes faciem, proxima est tibi Achaia, habes Corinthum: si non longè es à Macedonia, habes Philippos: si potes in Asiam tendere, habes Ephesum: si autem Italiae adieceris, habes Romanam, vnde nobis quoque auctoritas praesto est statuta, felix Ecclesia, cui tantam doctrinam Apostolicum suo sanguine profuderunt. Videamus quid dixerit, quid docuerit. Origenes in principio Periarch. Quum multi sint, qui se putant sentire quæ Christi sunt, & nonnulli eorum diuersa à prioribus sentiant, seruetur verò Ecclesiastica prædicatio per successione ordinem ab Apostolis tradita, & vsque ad præsens in Ecclesijs permanens, illa sola credenda est veritas, quæ in nullo ab Ecclesiastica discordat traditione. Qui igitur Ecclesiam ad limites sacre scripturæ coartant in iudicandis doctrinis, cæterisque definiendis, quæ ad fidem, & salutem pertinent, repugnant aperte tantis testimonijs antiquorum, & non admittentes traditionis auctoritatem, & consensum patrum, atque Ecclesiarum catholicarum, manifestè se ostendunt contentione amatores, & alienos ab Ecclesia.

DE CONCILIIS.

VVIR TENBERG.

Fatemur sua debere esse in Ecclesia de dogmatis, & sacris iudicia, & magnam esse legitimorum conciliorum auctoritatem. Sed longè omnium maxima sit auctoritas verbi Dei necesse est. Et si enim Ecclesia habet certam promissionem perpetuæ præsentiae Christi, & gubernetur à Spiritu sancto, tamen non quicuius hominum coetus pro vera Ecclesia haberi potest. Et ut maximè multi aliquoties in nomine Christi conuenire videntur, tamen

men

VVIR TENBERG.

123

men pauci sunt electi, & non est somnium fides. Et

SCHOLIA CATHOLICA.

a Sed oportebat explicari quantam, dicamus ergo supremam illam esse in ea parte, aut Ecclesia ubi celebrantur, si in provincia, supra totam provinciam, similiter si in natione, supra totam nationem. Igitur si vniuersalia sunt supra totam Ecclesiam, illud enim certum est, quod etiam hic pertransistis, legitima concilia esse, in quibus conueniunt omnes populi, doctores, & pastores, iuxta dispositionem canonum, conueniunt, inquam, si non corpore, saltem Spiritu. Itaque hoc loco nihil dicimus de quocunque concilio à suo vero capite se separante, sed integra illa, & perfecta concilia supremam habere auctoritatem asserimus, ut habes in assertionem catholicam.

b Et hoc fatemur, per verbum Dei sunt concilia gubernanda, sed si eut Ecclesia nunquam illud deferret, Christo id promittente, & stabi-
liente ipsam, ita nec concilia legitime celebrata.

c Ecclesia, verum est, tota, non verò singula membra, quod si tota, maximè ubi tota conuenit, veraciter curatura, & inquisitura, quæ ad salutem pertinent, quod sit in concilijs, vnde illa specialem promissionem habent: ubicunque sunt duo, vel tres, &c. quæcunque igitur concilia, sint siue provincialia, siue episcopalia, hanc habent promissionem, sed vniuersalia hanc, & quæ sit toti Ecclesie: portæ inferi, &c.

d Iam hic omnia confunditis, si vera Ecclesia incerta sit, & vera concilia similiter, frustra est promissio illa, & ut minimum, non erit utilis Ecclesie. Sed quare rogo, quum prælati manifesti sint pastores, scilicet & doctores populorum, si illi conueniant, non erit certum conuenisse illam Ecclesiam, cuius illi doctores sunt, & pastores? Conuenisse, inquam, ita, ut quod illi statuerint, illa debeat suscipere, & ab illa factum esse, quod illi fecerint, dicendum sit non minus, quam quum conueniunt capita, & gubernatores ciuitatis.

e Quid hoc ad res vultis ne solos electos ad Ecclesiam pertinere, quod olim Ioannes Hus stultissimè docuit: vos contrarium asseritis, nam & malos, & hypocritas dixistis pertinere ad Ecclesiam, & per eos verè administrari sacramenta, cur non etiam celebrari concilium, & veritatem inuenire? quum dicat Christus de legis veteris doctoribus: Super cathedram Moysi sederunt, &c. quæcunque dixerint vobis seruate, & facite.

f Vt etiam hoc demus, non propterea dubitandum est de legitimo coetu Ecclesie. Nam ad eam pertinent, siue ut prælati, siue ut subditi, quicunque in confessione fidei, & sacramentorum usu, cæterisque visibilibus Christianæ religionis ceremonijs conueniant.

R 3

quod

VVIR TENBERG.

quod in politicis, idem & in Ecclesiasticis cœtibus fieri solet, ut plerunque maior pars vincat meliorem. Huc accedit, quod Spiritus sanctus non faciat^b populum suū *ἀναιδῆς*, hoc est, impeccabile sed relinquat in ipso multas, & varias imbecillitates. Testantur quoque exempla, non pontifices tantum, sed etiam concilia errasse. Quare postquam prophetica, & Apostolica doctrina diuinitus confirmata est, nullius vel hominis, vel hominū cœtus sententia, simpliciter pro^d oraculo Spiritus sancti,

SCHOLIA CATHOLICA.

a Certè in his concilijs, quæ Ecclesiæ nota sunt, & legitime congregata, si aliquando, certè rariùs hoc factum est, nec tamen hoc quidquam detrahit legitimorum conciliorum auctoritati, apud modestè, & prudenter cuncta expedientes, sed de hoc inferius, mox in hoc isto capite dicemus.

b Primum, concilium non est totus populus, deinde, & si qui pertineat ad concilium non sint impeccabiles, nec sine peccato, non est tamen difficile Spiritui sancto per illos Ecclesiæ suæ vera dicere, qui per os Balaam populo Israël benedixit, & per Caiphā pessimum prophetauit de mortis Christi necessitate, non quod nunc hæc miracula exigamus, sed quod hanc promissionem, de Spiritus sancti assistentia, non dubitandum sit, implendam siue aperto miraculo, siue occulta providentia, quæ non minoris vel gratiæ, vel virtutis est, quàm aperta miracula.

c Re vera si nihil aliud haberemus ad confirmandam catholicam, quàm quod historijs de hoc est proditum, multum haberemus ad rem hanc. Primum multa concilia legimus errasse, sed quæ fuerant non legitime cōgregata. Errauit concilium Arminen. ab Arrianis à Constantino Cæsare filio Constantini congregatū. Id enim fuerat nulla legitima auctoritate coactū, nec aliud est tibi questū, q̃ euersio catholice fidei, & restauratio erroris Arii, sed illud concilium semper à vera Ecclesia damnatum est. Errauit & Ephesina secunda synodus, quæ videbatur magis legitime congregata, astantibus etiam legatis sedis Apostolicæ consensu

SCHOLIA CATHOLICA.

124

seorsit errori Entychetis damnato Constantinopolitano pontifice, sed hæc omnia mox correpta sunt in Chalcedonen. sanctissimo concilio, ubi manifestè conuicta falsitas, & detectæ fraudes alterius concilij, cui & legati pontificis semper contradixerunt. Referuntur quædam minus nota, & minus celebria concilia, in quibus quædam sunt errata, sed quantum hoc confirmat fidem, quod errores si qui fuerunt, semper detecti sunt, & reiecti in Ecclesia. Itaque per concilia legitima & sanctissima fides semper integra seruata est in Ecclesia, ut quatuor illa prima manifestant, & quint. etiam atque sex. & septim. synodus, & multa alia prouincialia, quæ & pontificum auctoritate, & consensu Ecclesiæ recepta sunt, in his est ferè explicatio fidei, & morū, unde quidquid nouitatis oritur in Ecclesia, magna ex parte confutari potest, nō ergo hoc satis esse debet, ut agnoscamus quàm sint salubria, & quanti habenda concilia in Ecclesia, sed errores ipsi si qui sunt, quum videamus tam facile esse deprehensos, nec permissum à Spiritu sancto, ut præualerent, idque ab alijs concilijs factum, nōne nos docent in definitione conciliorum quiescere certos, si quid in eis fuerit corrigendum, non id diutius permittendum Christum, quin corrigatur? Idque non per priuatos homines, sed per alia concilia. Quod si dicas, non potuit Spiritus sanctus agere, ut nunquam errarent, potuit certè sed noluit, ad maiorem ædificationem Ecclesiæ, hinc enim ad modestiam, & humilitatem admonentur etiā summi prælati, & ij, qui in concilijs conueniunt: primò, ut non nisi sub vicario Christi conueniant: deinde, ut cū conueniant, cum timore, & tremore agant, agnoscentes se esse homines, qui fallere possint, & falli, atque id oratione, puritate vitæ diligenti studio, non suo tantum, sed totius Ecclesiæ, quæ Spiritu saltem cum illis conuenire debet in vniuersalibus concilijs, sensum patrum, & traditionem Ecclesiæ inquirant, & cū inuenerint, nulla animositate, & supercilio illam ostendant, hæc cū ita aguntur, Spiritum sanctum conciliant, ut illis adsit, nam & ab illo est, ut agantur, cū desunt, eo permittente aufert se Spiritus sanctus, ut dictum est, tunc illis, & non Ecclesiæ, ut nobis tota historia ostendit, & in assertionem catholicam habes.

d Definitiones conciliorum non dicimus reuelationes Spiritus sancti, nec sancta illa concilia, & prima, tanquam reuelationem sibi factam, quidquam definierunt, sed ex scriptura, consensu patrum, & traditione Ecclesiæ inferentes. Sicut in concilio Nicæno nomē consubstantialis, & sic in reliquis, non sunt igitur nouæ Spiritus sancti reuelationes, quia nec nouā fidem tradere possunt, sed traditam ab Apostolis explicare.

R 4

fine

sine iudicio recipienda est: sed & exigenda ad normā doctrinæ Propheticae, & Apostolicae, vt quod cum hac conuenit, agnoscatur, quod cum hac pugnat, refutetur. Ad Gal. 1. Si nos, aut Angelus de caelo prædicauerit vobis Euangelion, præter id, quod prædicauimus vobis, anathema sit. 1. Ioannis 4. Nolite cuius spiritui credere, sed probate spiritus num ex Deo sint. 1. Ad Thessal. 5. Omnia probate, quod bonum est tenete. August. contra Maxi. Arrianorum Epif. lib. 3. cap. 14. Sed nunc nec nego Nicænum, nec tu debes Ariminense tãquam præiudicaturus proferre concilium, nec ego huius auctoritate, nec tu illis detineris, scripturarum auctoritatibus,

SCHOLIA CATHOLICA.

a Conciliorum decreta à quo demum putatis exigenda esse ad normā doctrinæ Apostolicæ, vt quædam recipiantur, quædam refutentur, aut quando erit finis inquirendæ veritatis, aut quæ ratio seruandæ vnitatis fidei, si post definitiones conciliorum non sit quiescendum, certè vt diximus, si aliquid reiiciendū in concilijs vniuersalibus fuerit, quod non nisi ex defectu aliquo eorum, quæ ad legitimā concilij conclusiōnem necessaria sunt, contingit, vt dictum est, illud ab alio concilio iudicabitur, curante hoc Spiritu sancto, vt ex historijs proximis satis ostenditur. Cæterum nulli privato licet de illis quidquam conuellere, stat Martiani catholici imperatoris lex de summa firmitate, C. & fide catho. Nemo, vbi inter cætera hæc dicit: nam & iniuriam facit iudicio reuocandi synodi, si quis semel iudicata, ac rectè disposita reuoluere, & publicè disputare contenderit. Gelasius etiam, vt habes 24. quæst. p. Maiores, inquit, nostri, diuina inspiratione cernentes, necessariò præcauerunt, vt quæ contra vnumquamque hæresim coacta semel synodus, pro fidei communionē, & veritate catholica promulgasset, non sinerent nouis post hæc retractationibus mutilare.

b Primum vide Paulum impossibilia ponere, nec enim Angelus beatus potest contra veritatem Euangelij prædicare, nec certè ipse Paulus, qui confirmatus erat in fide, & gratia, sed vt certitudinē fidei ostenderet, inquit, etiam si hæc, quæ impossibilia sunt cogitemus, tam si tamen debet esse fides eorum, quæ diximus, vt non propterea sit dubitandum de illis, pari ratione dicere possumus, etiam si concilium præter id, quod Paul. prædicauit dixerit, anathema sit, nec tamen sequitur, Spi-

Spiritum sanctum permittitur id, quin nunquam Ecclesiæ deest.

c Sed quando demum finis erit probandi, hæc probatio facta est iam in concilio, vultis igitur, vt priuatus quilibet iterum ad iudicium deducatur, quæ concilium iudicauit simō videre rogo, ex hoc ipso verbo contrarium sequi, nam si iubet nos scriptura probare spiritus vtrū ex Deo sint, vt illud cum fructu fiat, necesse est rationem efficacem probandi spiritus dari in Ecclesia, non potest autem efficax esse si in infinitum tendat, standum igitur in definitione concilij, quod Spiritus sanctus nos docuit, propriam esse viam definiendi dubia, quæ ad salutem pertinet, vt habes in assertionē catholicā.

d Sed vt diximus tandem opus est vt sit finis probationis, similia sunt hæc, quæ Tertul. reijcit lib. de præscriptionibus hæreticorum, scriptum est inquit, ait ille, querite, & inuenietis, quo verbo illi astruebant semper esse querendam veritatem, ille verò multis rationibus huic verbo respondens inter cætera ita inquit: querendum est donec inuenias, & credendum vbi inuenieris, & nihil amplius, nisi custodiendum, quod credidisti, & post parum, ratio autem dicit huius in tribus articulis consistit, in re, in tempore, in modo: In re, vt quid sit querendum consideres: in tempore, vt quando: in modo, vt quo vsque. Hæc itaque nos respondemus, omnia sunt probanda non sine disciplina rationis, vt Tertullianus inquit, omnia quæ probatione egent, & ita tamen, vt quandoque sit terminus.

e Ita inquit eo loco August. disputans cum hæretico qui Ariminensium concilij damnati, sequebatur auctoritatem, & damnabat Nicænum, nouit verò Aug. cū hæreticis ex ijs disputandū esse, quæ recipiūt, vnde & in 1. retract. cap. 9. de libris de lib. arbitrio loquens, quæ disputatio inquit contra Manichæos habenda est, qui scripturas sanctas veteris instrumenti non accipiunt, in quibus originale peccatum narratur, & quidquid inde literis Apostolicis legitur detestabili impudentia immisum esse, contendunt à corruptioribus scripturarum. Itaque contra hos disputaui sine scripturis, non tamen propterea scripturas putat minoris esse auctoritatis, vnde statim ibidem inquit, contra Pelagianos autē hoc defendendum est, quod vtræque scriptura commendat, quam se recipere profitentur, id igitur in præsentia, non quasi minus tribuens concilio Nicæno dicit: Nec ego Nicænum, &c. sed quia aduersarius illud non recipiebat, quicumque igitur, vt vos ipsi fatemini, illud negat, hæreticus conuincitur. August. ibidē ante illa verba propriè satis ostendit, quid de Ariminens. & Nicæno concilio sentiendum, hoc est, inquit illud hominum, quod in Nicæno concilio aduersus hæreticos Arrianos & catholicis patribus veritatis auctoritate, & auctoritatis veritas confirmatus est, & cætera, quæ ibi de Ariminens. dicit. Itaque inquit

non quorumcunque proprijs, sed vtrisque communi-
bus testibus, res cum re, causa cum causa, ratio cum ra-
tione, vtrique, &c. Panormitanus in c. significasti ex de
electio. In concernentibus fidem, etiam dictum vnius
priuati esset præferendum dicto Papæ, si ille moueretur
melioribus auctoritatibus noui, & veteris testamenti,
quàm Papa. Gerson parte 1. de examinatione doctrina-
rum: Prima veritas staret, quòd aliquis simplex non au-
ctorizatus, esset tam excellèter in sacris literis eruditus,
quòd plus esset credendum in casu doctrinali suæ asser-
tioni, quàm Papæ declarationi. Constat enim plus esse
credendum Euangelio, quàm Papæ. Si doceat igitur ta-
lis eruditus veritatem aliquam in Euangelio contineri,
vbi & Papa nesciret, vel vitro erraret, patet cuius præfe-
rendum sit iudicium. Et mox: Talis eruditus deberet
in casu, si & dum celebraretur generale concilium, cui et
ipse præsens esset, illi se opponere, si sentiret maiorem
partem ad oppositum Euangelij, malitia, vel ignorantia
declinare.

a Primo hæc conditionalis certa est, sicut illa, si Angelus de coelo, &c.,
quod igitur attinet, ad rationes, quibus ea, quæ fidei sunt probantur,
quæ sumenda sunt ex scriptura, vel traditionibus quis dubitat melio-
ribus rationibus standum, nec summus pontificatus doctiorem facit
in scriptura hominem: sint igitur hæc dicta de disputatione, vel inquisi-
tione, in qua pontifex etiam ipse summus debet se ceteris æquare,
nec plus sibi tribuere sicut Petrus in illo concilio, & in disputatione
ne cum Paulo non plus sibi tribuit. Aliud verò est ipsa definitio, & sen-
tentia, quæ non pertinet ad priuatos, de quo mox pauca addemus.

b In hoc loco Gerson more suo loquens de examinandis doctrinis, dis-
tinguit duplicem esse rationem definiendi dubia fidei, vel per doctri-
nam, vel per auctoritatem, ostendit quàm hæc diuersa sint: doctrinalis
declaratio non requirit aliud, quàm eruditionem, vnde in ea doctiori
credendum, infimi gradus etiam contra Papam: quæ verò sit auctori-
tas superioritatis, illa requirit iuris dictionem, quare non doctior, sed su-
perior illam potest facere. Ceterum quia scientia præcedere debet, &
dirigere potestatem, non est dubium in concilijs prius inquirendum
esse

esse veritatem disputationibus, & omni conatu, in qua inquisitione au-
diendi omnes quotquot proponere volēt, & non considerandus alius
gradus, quàm eruditio, & ratio cuiusque. Ceterum in definitione, vbi
iam auctoritas, & potestas necessaria est, considerandus gradus. Nec
negamus, quòd si priora, non vt res exigit, fiant, si, inquam, non in qui-
ratur veritas, vt opus est in definitione, errare posse, sed iam visum est
à quo, & qua ratione hic error emendari debeat.

c Certum est tum non rite procedi, quum ignorantia, vel malitia præ-
ualet, vt factum est in concilijs Smyrnenſi, & Ephesino 1. vbi etiam nō
est dubium sanctum esse, & debitum vt quisque se opponat, sicut san-
ctus ille Flavianus Constantinopolitanus sanctissimè sustinuit damna-
ri in concilio Ephesino, sed iam visum est, hæc nihil detrudere auctori-
tatibus conciliorum.

DE CONCILIIS. CATHOLICA.

Q Voniā Ecclesia non confusa quædam, & inordi-
nata Respub. est, sed sunt in ea doctores, præpositi,
& ministri secundum suos gradus, vt Apostolus docet,
& sunt discipuli, & subditi similiter secundum suos gra-
dus, qui doctorum & prælatorū doctrinam fidei, & mo-
rum sequi tenentur, hinc fit, vt non omnia promissa Ec-
clesiæ promiscuè, & confuse omnibus promissa esse in-
telligenda sint, sed in vtilitatem omnium ab ijs, quibus
id commissum est, sunt exercenda, quæ igitur ad clauēs,
administrationem scilicet Sacramentorum, & veritatem
doctrinæ pertinent, prælatis, & doctoribus necesse est vt
intelligantur promissa, quibus videlicet dicitur: qui vos
audit, me audit. Et de eisdem Paulus: Obedite præposi-
tis vestris, & subiaceite eis. Quæ enim dubia aliqua emer-
gunt circa fidem, cultum, & mores, docuit Spiritus san-
ctus in ipsa mox nascente Ecclesia, & præsentibus Apo-
stolis, vt ij congregentur legitima potestate, & auctori-
tate, ad quos doctrina, & gubernatio populi pertinet,
& circa ea, quæ dubia sunt diligenter inquirant scriptu-
ræ sensum, & traditionem, quibus ita agentibus, non du-
bitamus promissam esse præsentiam Christi, qui dixit:

Vbi

Vbi sunt duo, vel tres congregati, & c. Ut vel veritate inueniant, vel saltem pertinaciter ab ea non dissentiant: Quia verò concilia hæc à diuersis, & diuersimodè fieri contingit, sunt enim quædam vnius tantum prouinciæ, alia totius vnius gentis, aut nationis, reliqua verò etiam totius orbis, non est dubitandum, iuxta ea, quæ de vnitæ Ecclesiæ dicta sunt: inferiora à superioribus corrigi, suprema verò, & vniuersalia à nullo inferiori iudicari posse. Quare omnes ad ea suscipienda tenentur, si legitimè celebrata sint. Quia ergo si errarent in fide, & moribus, totam Ecclesiam necesse esset errare, promissio Christi facta Ecclesiæ: portæ inferi non præualebunt aduersus eam, vniuersalibus concilijs facta est, & per illa Ecclesiæ, certa ergo fide tenendum est ea nunquam in fide erratura. Quod verò in dubium vertitur à nonnullis, qui cœtus hominum vera Ecclesia dici possit, seu verum concilium, propterea quod pauci sint electi, neque omnium sit fides, sicut qui non apertè concilium ex praelatis, & doctoribus præcisè constare fatentur, ij omnes latebras quærunt, & in perspicua luce cæcutiunt, quum Ecclesiæ, cui promissio illa Christi facta est: portæ inferi non præualebunt aduersus eam, visibilis sit, nec ex electione Dei, aut vera fide, & charitate internis pendeat, vt quis ad Ecclesiam pertineat, siue vt subditus, siue vt praelatus, sed vt viuum membrum sit, hæc requiruntur. Et apertè frequentissimè nos docuit Paulus, non omnium esse in Ecclesia docere, sed membrum quodlibet suo contentum esse debere loco. Igitur manifestè in Ecclesia iudicari potest, & manifestè agnosci, concilium quodlibet legitimum sit, an non, sed & illud constat, nullum legitimum esse, nisi subordinatum sit, & depēdeat à primæ sedis auctoritate, siue ea præcedat, siue sequa-

sequatur. Nec vera fides negat Spiritum sanctum non facere suos in hac vita sine peccatis, vel infallibiles, qui scilicet nec fallere, nec falli possint: sed nec dubitat catholica Ecclesiæ, ita Deum gubernare liberum arbitrium hominum, vt quando ei placet à veritate non errent, quod cum promissum sit concilio, vt visum est, non est dubitandum ita impleri à Spiritu sancto, vt nunquam errent legitimè celebrata, & agentia, quæ recta regula exigit, à quibus, quum id nō fecerint, ipso id permittente, ad humiliandos suos, ita se subtrahit Spiritus sanctus, & errare permittit, vt tamen id non permittat latere Ecclesiam suam, sed deprehendi faciat, & emendari. Non itaque vera fides vllius vel hominis, vel hominum, post Apostolicam, & Propheticam doctrinam, sententiam pro oraculo nouo Spiritus sancti putat esse suscipiendam: sed intelligit in concilijs, cum inquiritur veritas scripturæ, & traditionis, prout opus est, non errari, circa hæc præcipuè in vniuersalibus, sed illud multò magis reijcit & fides, et ratio, vt fiat liberum alicui priuato homini de concilij diffinitionibus in dubium vertere, an repugnēt, vel conueniant cum fide, quid enim hoc aliud est, quàm nunquam finiri contentiones, & insufficientissimam esse Ecclesiam. Act. 15. Legimus, quod quum Antiochiæ, de necessitate circumcisionis quidam quæstionem mouissent, & facta esset non minima seditio, Paulo, & Barnabæ contradicentibus, statuerunt, vt ascenderent in Hierusalem Paulus, & Barnabas cum alijs ad Apostolos, & presbyteros in Hierusalem super hac quæstione, & mox conuenerunt Apostoli, & seniores videre de verbo hoc, vbi cum magna conquisitio fieret, loquutus est Petrus, postea audierunt Paulum, & Barnabam narrantes, dein de loquutus est Iacobus, & tandem hæc est diffinitio Con-

Concilij: Apostoli, & seniores fratres ijs, qui sunt Antiochiæ, & cæt. Visum est Spiritui sancto, & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris. & cæt. Ecce exemplar, & necessitas conciliorum, atq; ordo, & auctoritas. Matth. 18. & Deuteronom. 17. De fratre peccante dicitur: Si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Quod apertius in Deuter. non ut cæremoniale, sed ut re vera ad rectam gubernationem populi pertinens, aperitur: Si difficile, inquit, & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, & iudicium inter portas videns verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem, qui fuerit illo tempore, quæresque ab eis, qui iudicabunt tibi iudicij veritatem, & facies quodcunque dixerint, & cæt. Et tandem post alia: Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui hoc tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum ex Israel, & cæt. 2. ad Timotheum 3. Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines amantes seipsos. Et post multa quæ de illis loquitur, propria certè hæreticorum, tandem inquit, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Qui autem melius nolle peruenire ad veritatem dici possent, quam qui post definitionem concilij disputare volunt? Gelasius Papa in Concilio octaginta Episcoporum, & habetur in capit. Sancta Romana Ecclesia d. 15. Post noui, & veteris testamenti scripturas sanctam synodum Nycænam, Constantinopolitanam, Ephesinam, Chalcedonensem & Constantinopolitanam aliam suscipit, & deinde subdit: sed et si quæ sunt concilia à sanctis patribus hætenus instituta, post horum auctori-

toritatem custodienda, & recipienda decernimus, & mandamus. Augustinus libro secundo, De baptismo contra Donatistas. Multis quidem in locis quanta auctoritatis concilia præcipue vniuersalia sint dicit, sed specialiter capit. tertio, dat post scripturam sacram literis Episcoporum, concilij provincialibus, & generalibus suum locum, & in summo collocat plenaria concilia, ipsa inquiring, quæ per singulas regiones, vel prouincias concilia fiunt, plenariorum conciliorum auctoritati, quæ sūt ex vniuerso orbe Christiano sine vllis ambagibus, cedere. Vbi apertè statim ostendit, quod superius ratione certissima diximus, vniuersale concilium (ut minimum illi demus) non posse ab aliquo priuato, vel inferiore concilio emendari, ceu iudice. Ostendit etiam eodem libro quarto, & nono capit. in questione illa de baptismo hæreticorum, concilij vniuersalis auctoritati, & consensui Ecclesiæ standum esse, contra Cyprianum, & concilium suum, & illis certissimam fidem esse adhibendam. In Epistolam denique ad Ianuarium, ut superius citauimus, conciliorum vniuersalium in Ecclesia esse saluberrimam auctoritatem, atque insaniam esse de eorum diffinitionibus dubitare affirmat. Gregorius ut apud Gratianum habes decimoquinto distinctione. Sicut sancti Euangelij quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere, & venerari me fateor. Et numeratis Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Chalcedonensi, subdit: hæc tota deuotione amplector, & integerrima probatione custodio. Idemque mox subdit de quinta synodo, hæc enim vsque ad Gregorium vniuersalia concilia celebrata fuerat.

DESCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

VVIR TENBERG.

Coram cano capite, inquit scriptura, assurge, & personam

VVIRTEMBERG.

nam senis venerare. Veneramur igitur caniciem maiorū nostrorum, qui iam inde ab initio reuelati, & propagati Euangelij, in orbe terrarum susceperunt studium iuuantē Ecclesiæ, non solum vocali prædicatione, sed etiā publicis scriptis, vt posteritas habeat, ab Apostolicis temporibus vsque ad hæc tempora manifesta, & certa piæ doctrinæ testimonia. Horum autem scripta sic amplectimur, quemadmodum & sacra scriptura permittit nobis humana auctoritate vti, & sua ipsi scripta agnoscere voluerunt. Iob 12. (Vos amici dicitis) quod in antiquis sit sapientia, & in multo tempore prudentia, (ego autem dico vobis,) apud ipsum videlicet Dominū Deū nostrum, est sapientia, & fortitudo, ipse habet consiliū, & intelligentiam. 1. Corinth. 4. Prophetæ duo, aut tres loquantur ceteri diiudicent. 1. ad Thessal. 5. Omnia probate, quod bonum est tenete. Tertullia. in libelle præscriptionibus hæreticorum: Nobis nihil licet ex nostro arbitrio inducere, sed nec eligere, quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec ipsi quidquam de suo arbitrio, quod inducerent elegerunt, sed acceptam à Christo fideliter disciplinam nationibus assignarunt. August. in Epist. ad Fortunatum dist. 8. Neque quorūlibet disputationes

SCHOLIA CATHOLICA.

a Si ita est, sic confitemini hoc præstare nobis scripta antiquorum, vt in eis habeamus certa testimonia piæ doctrinæ à tempore Apostolorū vsque ad nostra tempora, qua ratione dubitari potest de hac perpetua doctrina post cetera patrū testimonia? Certè ratio nulla esse potest, sed sola pertinacia, & superandi libido de veritate corporis Domini in Eucharistia, de substantiæ panis transubstantiatione habemus certa patrū testimonia, quomodo ergo negari potest, nisi pertinaciter ita in reliquis. Conueniat igitur ex hoc inter nos, vt ille pertinax aduersarius perpetuæ doctrinæ Ecclesiæ sit, qui testimonijs patrū relictus fuerit.

b Sacra scriptura non permittit tantum, sed præcipit interrogandos, & sequendos patres in dubijs, & eos maxime, quos constat absque par-

tium

SCHOLIA CATHOLICA.

129

etiam affectu locutos, itaque in ijs, quæ manifestè contra scripturam sunt non audiantur patres, sed in dubijs quum illi interpretantur aliter, quum mihi, aut tibi videtur, quis nisi impudens, et imprudens reiiciat patres? Illi quidem præferri sibi volunt scripturam, & rationem certā, vos præferitis vos ipsos illis, August. vt in ultimo loco citatum in assertione catholica habes: noli inquit meas literas ex tua contentione, vel opinionione corrigere, sed ex Diuina lectione, aut inconculsa ratione, nimia igitur est, & intoleranda superbia, quemque ex suo arbitrio velle reprehendere patres.

d Hæc distributio vt primum verbum in antiquis est sapientia proponatur ex persona amicorum Iob, & quasi secundo verbo apud ipsum est sapientia, illa refellat, hæc inquam distributio, vos amici dicitis, ego autem dico vobis, vestra sunt, non patrum, nec ipse contextus id exigit, quamquam sustineri possit. Itaque magis est incertus quidam sensus, quam vera intentio loquentis, qui vere affirmat in antiquis sapientiam esse, & meritò audiendam à iunioribus, quanquā illam longè inferiori diuina sequens verbum significet, sed vtrunque sit, hinc non aliud haberi potest, quam quod non sit patrum auctoritas scripturis præferenda, quod certè non opus erat confirmare, adeo manifestū est. e Ceteri inquit, eiusdem scilicet gradus, Itaque hinc ponit duos prophetas loquentes, inde plures similiter prophetas diiudicantes, igitur hoc probat, quod vni, aut duobus patribus opponi possunt, totidem aut plures patres, sed vni ex illis antiquissimis fidei columnis opponere se minore, aut vni ex neotericis in re dubia, quis non videat vt minimū immodestū esset? f Superius hoc citatum est, & responsum eidem, omnia quidem probanda, sed non absque disciplina, prius videndum, quæ probanda, quæ do, & quousque vt Tertul. dixit.

g Hunc locum maxime amplectimur, nullus pro suo arbitrio, sed iuxta id, quod Apostoli tradiderunt quidquam definire debet, vt superius ex Tertulli. in assertione catholica adduximus, vos patrum reiicitis traditionem, deinde, quanta vestro arbitrio damnatis? sanctorum inuocationem, sacrificium altaris, orationem pro defunctis, quæ non vnus ex patribus sed tota Ecclesia recipit.

h Hæc ab Augu. modestissime dicta, vtinam pari modestia susciperentur, nullius doctoris scripta æquanda sunt canonicis scriptis, & salua inquit, honorificentia, quæ illis debetur potest improbari, quod aliter senserunt, quam veritas habet, sed vide, qua modestia inquit veritas Dei adiutorio ab alijs intellecta vel à nobis, itaque alijs doctoribus alios opponit circa veritatis intellectum, & quidem Aug. inter primos illos meritò connumeratus, non mirum, si iudicium suum alijs opponat, nō est hoc iam cuiuscunque, maxime vt vnus pluribus se opponat.

S

quan.

VVIRTEBERG.

quāquam catholicorum, & laudatorum hominum velut scripturas canonicas habere debemus, ut nobis non liceat, salua honorificentia, quę illis debetur hominibus, aliquid in scripturis eorum improbare, atque respuere, si fortē inuenerimus, quod aliter senserint, quā veritas habet, diuino adiutorio ab alijs intellecta, vel à nobis. Talis ego sum in scriptis aliorum, quales volo esse intellectores meorum. Et iterum in Proh. lib. 3. de Trinit. Noli meis literis quasi canonicis scripturis inferuire, sed in illis, & quod non credebatur, cum inueneris, incunctanter crede: in istis autem, quod certum habebas, nisi certum intellexeris, noli firmē tenere. Ac rursus ad Vincentium lib. 2. Negare non possum, nec debeo, sicut in ipsis maioribus, ita multa esse in tam multis opusculis meis, quę possent iusto iudicio, & nulla temeritate culpari. Et iterum in Epist. ad Hieronymum. Ego solis eis scriptoribus, qui iam Canonici appellantur, didici hunc timorem, &c. Ac mox: Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate, quantāue doctrina polleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserūt, sed quia mihi per alios auctores, vel per Canonicas, vel probabiles rationes, quę à vero non abhorreant persuadere potuerunt. Et aliās de vnico Baptismo in Epist. ad Vincent. Quis nesciat sanctam scripturam, &c. & noli frater contra diuina tam multa, &c. Nam hi loci, vel ex ipsis Pontificum decretis, noti sunt.

SCHOLIA CATHOLICA.

^a Hoc Augustinus de se modestissime dicit, sed quod in eodē loco post parum addidit, omissum est à vobis, nos opposuimus in catholica assertionē, in secundo similiter loco August. quem citamus inter cetera ibi, inquit, correctorem meum nolo sibi esse deditum, illi dico, noli meas literas ex tua opinione, vel contentione, &c. corrigere. Lege igitur omnia, & vide quam modestia agendum sit in ijs.

b Hu

SCHOLIA CATHOLICA.

130

b Humilis confessio August. quam frequenter ille repetit, editis etiam libris retractat, in speciali, in quibus minima quęque non pratermissa, et si igitur merito possumus August. iuste certē tribuere, quod ipse sibi humiliter non tribuit, nec tamen tantum tribuendū est illi, ut non in eo aliquid reprehendi possit, sed fiat id certa vel ratione, vel auctoritate ut ipse petit.

c Et hoc etiam August. libere, sed modestissime dixit Hieron. petens ut persuaderet illi, quod aserebat: & vide qualiter sibi persuaderi vult, vel per alios inquit auctores, vel per canonicas scripturas, vel per probabiles rationes. Itaque & auctores fatetur efficaces esse ad persuadendum, unde & in illa cum Hieron. questione de cessatione legalium non pauciores doctores illi opponit, quā ipse adduxit, ne videlicet in re, quę dubia erat, quandoquidem Hieron. oppositum sentiebat, non suo sensui tantum videretur inniti.

d Fatemur, citat Gratia. d. 9. c. quis nesciat ex lib. Augusti. de baptismo contra Donatistas, locum, in quo fatetur literis Episcoporum, & scriptis contradici posse, sed inquit, per aliorum Episcoporum gratiorum auctoritatem, vel per concilia, aut fortē per sermonem sapientiorum, idem etiam inquit August. in altero loco, quę ex epistola ad Vincentium eadem dist. c. noli frater. Igitur in ijs omnibus primo nimialibertas comprimenda est, hodie maximē quando tanta est nouitatum cupiditas, ut vel sola hac ratione, quā aliquid habent noui, multa placeant, deinde & huius opus est admonere omnes, quibac legunt, ea de vno, aut altero doctore dicta esse, siue etiam pluribus. At verō consensus omnium patrum longē pluris & ipse Augusti. & alij patres, imō concilia ipsa tanti faciunt, ut non dubitent illum esse sensum Spiritus sancti, ut habes in assertionē catholica.

DE SCRIPTORIBVS ECCLESIASTICIS.

CATHOLICA.

De auctoritate Ecclesiasticorum patrum fides, & modestia Christiana sentiunt, nulla ratione eorum scripta æquanda esse canonicis libris, eos tamen, qui semper in Ecclesia perseuerarūt, quosque nulla vnquam suspitione schismatis, aut hæresis maculatos esse constat, atque ideo probati sunt ab Ecclesia, tanti faciendos eadem modestia Christiana exigit, ut nō nisi certa ratione, vel scriptura aut vnus, siue plurium, non minoris auctoritatis

S 2

testimo

testimonio reprehendi debeant, & hoc quidem in ijs, de quibus ipsi probabiliter disputant, & inter eos diuersitas sententiarum est. Iam verò concors patrum horum de fidei dogmatibus, vel scripturæ sensu, & denique de omnibus, quæ ad religionem pertinet sententia, non aliter suscipienda est, quàm concilij ipsius vniuersalis, & Ecclesiæ definitio. Hanc enim patrum concordem sententiam antiquissima vniuersalia concilia quæsierunt, inuentam venerata sunt, nec dubitarunt hac auctoritate uti. Prouerbiorum 22. Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui, qui verò proprius patres nostri, quàm Ecclesia, & doctores, de quibus meritò illud Deuteronom. tricesimosecundo dictum est. Interroga patres tuos, & annuntiabunt tibi. Ecclesiastici 39. Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens, & in Prophetis vacabit, narrationem virorum nominatorum conseruabit, & in versutias parabolarum simul introibit, occulta Prouerbiorum exquirat. Quibus quid aliud significatur, quàm veneranda esse scripta patrum etiam non intellecta, diutiusque exquirendos, sensus eorum non facile reiiciendos, vbi inquit Sapiens Ecclesiast. 32. Vbi sunt senes, non multum loquaris. Iacobi 3. Nolite plures magistri fieri, fratres mei, scientes quia maius iudicium sumitis, in multis enim offendimus omnes, quid verò aliud est magistrum velle fieri, quàm contraria alijs magistris sentire. Vnde & 1. capit. inquit idem Iacobus. Sit autem omnis homo velox ad audiendum, & tardus ad loquendum. Augustinus libro primo ad Pelagium, & Celestium de gratia Christi, capit. 42. Videtis autem quòd qui ista sentiunt, ignorantes Dei iustitiam suam volunt constituere, & longe ab illa sunt, quæ nobis ex Deo est, non ex nobis, quam in scripturis etiam sanctis

sanctis, maxime canonicis aduerrere, atque agnoscere debuerunt, sed quia eas secundum sensum suum legunt, profectò in illis neque apertè contuentur. Vtinam ergo saltem in catholicorum virorum scriptis, à quibus eas rectè intellectas esse non dubito, quid sit de adiutorio Diuinæ gratiæ sentiendum, non negligenter attenderent, nec suæ sententiæ amore nimio præterirent. Vide itaque quàm sit necessaria, & quantè auctoritatis lectio patrum post scripturam. Gelasius Papa in concilio septuaginta Episcoporum, Post illa, quæ superius citauimus de quatuor concilijs primis, & cæteris alijs refert decem & aut duodecim patrum opuscula, & addit: Item opuscula, atque tractatus omnium orthodoxorum patrum, qui in nullo à sanctæ Ecclesiæ Romanæ consortio deuiarunt, nec ab eius fide, vel prædicatione seiuncti sunt, sed ipsius communionis per gratiam Dei vsque in vltimum diem vitæ suæ fuere participes, legendos decernimus. Hic itaque vide, quales doctores recipiat Ecclesia, & quo loco post scripturam scilicet, & vniuersalia concilia. Celestinus in epistola ad Episcopos Galliæ, capit. 1. & 2. Filij nostri præsentis, Prosper, & Hilarius, tantum nescio quibus presbyteris illic licere, qui dissensionis Ecclesiæ studeant, sunt apud nos persecuti, ut indisciplina quas questiones, vocandas in medium pertinaciter eos dicunt, prædicare aduersantia veritati, sed vestræ dilectioni iustus imputamus, quando illi supra vos habent copiam disputandi. Lègimus supra magistrum non esse discipulum, hoc est, non sibi debere quempiam ad iniuriam doctorum vindicare doctrinam. Et in fine primi capituli. Nec tamè mirari possumus, si hæc erga viuentes, ij nunc tentare audeant, qui nituntur etiam quiescentium fratrum memoriam dissipare. Et mox in secundo capite se-

CATHOLICA.

quitur. Augustinum sanctæ recordationis virū, pro vi-
ta sua, atque meritis in nostra communione semper ha-
buimus, nec vnquam hunc sinistra suspensionis saltem
rumor asperfit, quem tantæ scientiæ olim fuisse memini-
mus, vt inter magistros optimos etiam antè, à meis deces-
soribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune
fenserunt, vtpote qui vbique cunctis & amor fuerit, &
honori, vnde resistatur talibus, quos malè crescere vide-
mus, vbi aduerte quibus licet, & qualiter cōtra patrum
doctrinā loqui. In epistola Concilij Ephesini ad Ne-
storium. Non autem sufficit tuæ religioni, tantummo-
do fidei symbolum confiteri, quod expositum est à ve-
nerando, & magno concilio apud Nicæam congregato.
Hoc enim non intellexisti, nec rectè interpretatus es,
quinimo peruersè licet sono vocis eadem verba protule-
ris, sed consequens est etiam iure iurando fateri te quòd
anathematizes tua polluta, & profana dogmata, sentias
autè, & doceas, quæ nos vniuersi per Orientem seu Oc-
cidentem, Episcopi, & magistri, præfulesque populorū
credimus, & docemus, statimque subiungit, qualiter sen-
tentia contra illum, & literis ab Alexandrina Ecclesia
eidem directum consensum præbuit Romana synodus.
Et nos inquit, omnes, velut rectè irreprehensibiliter-
que conscriptis, & tandem, hæc est enim, aiunt, fides Ca-
tholicæ Ecclesiæ, cui cuncti consentiunt Orthodoxi per
Orientem, Occidentemque Pontifices. In hac etiam sy-
nodo, post recitatam fidem Nicænæ synodi, prout in
actione prima cōcilij Calcedonensis habetur, subiungi-
tur: Quoniam verò quidam simulant confiteri eam, &
consentire ei, falsè verò interpretantur, ad id quod eis
placet, necessarium visum est, sanctorum, & catholicorū
patrū proferre testimonia, quæ possint satis facere, quæ-
admo-

CATHOLICA.

132

admodum eam intellexerunt, vt rectam, & immacula-
tam fidem habentes, ita intelligant, & interpretentur, &
prædicent eam. Et mox, tredecim sanctissimorum patrū
Græcorum, & Latinorum ex suis libris citantur testimo-
nia, de vna persona, & duabus naturis Christi. Vnde &
ipsum concilium, in eadem Epistola ad Nestorium ita
exorsum est, sententiam proferre in hac materia: sequen-
tes itaque omnium sanctorum Patrum cōfessiones, quas
loquente in eis Spiritu sancto protulerunt, & intensio-
ni, quæ est in eorum intellectibus, æquis vestigijs in hæ-
rentes, atque iter ambulantes regium, profitemur, & cat.
Vides itaq; quanti sit habenda concursus sententia Patrum,
quantique eam faciant ipsa cōcilia, sed & in sexta syno-
do, actione quarta, epistola Agathonis, hoc ipsum aper-
tè cōtinet, in qua sanctus ille Pontifex per Legatos suos,
auctoritates Patrum mittit, & hunc eorum consensum,
& traditionem Apostolicæ sedis sequendam proponit.
Augustinus libro quarto contra duas epistolas Pelagia-
norum ad Bonifacium capit. octauo. Sed quoniam di-
cunt inimicos suos dicta in veritatis odium suscepisse, &
cætera quæ in hanc sententiam multa refert, ad curam,
inquit, nostram existimo pertinere, non solum scriptu-
ras sanctas canonicas aduersus eos testes adhibere, quod
iam satis fecimus, verum etiam de sanctorum literis, qui
casante nos fama celeberrima, & ingenti gloria tractaue-
runt, aliqua documenta proferre. Non quòd Canonicis
libris, à nobis vllius disputatoris æquatur auctoritas, sed
vt admoncantur, qui putant istos aliquid dicere, quem-
admodum de ijs rebus ante noua istorum vaniloquia, ca-
tholici antistites eloquia diuina sequuti sint, & sciant à
nobis rectam, & antiquitus fundatam catholicam fidem
aduersus recetem Pelagianorum hæreticorum præsum-
ptionem,

CATHOLICA.

ptionem, perniciemque defendi. Augustinus 3. de Trinitate statim in principio: Sane quum in omnibus meis libris non solum pium lectorem, sed etiam liberum correctorem desiderem, multo magis in ijs, & cæt. Veruntamen sicut lectorem meum nolo mihi esse deditu, ita correctorem nolo sibi, ille me non amet plus quam catholicam fidem, iste se non amet amplius quam catholicam veritatem, sicut illi dico: Nolo meis literis quasi canonicis literis inservire, &c. ita isti dico: noli meas literas ex tua opinione, vel contentione, sed ex diuina lectione, & inconcussa ratione corrigere, hæc proxima sunt illis, quæ confitentes referunt in secundo loco quem adducunt Augustini, vtrumque ibi dicit, sed illi hæc omiserunt, quia illos arguit, nos alia omisimus, quia ab illis posita sunt.

DE CAEREMONIIS ECCLESIASTICIS.

VVIRTENBERG.

AGnosceimus à Christo filio Dei duas caeremonias in Ecclesia institutas esse, baptismum, & coenam Dominicam, quæ & iuxta institutionem Christi necessario sunt obseruandæ. Fatemur etiam Apostolos instituisse quasdam ordinationes in Ecclesia, vt omnia decenter, & secundum ordinem, sicut Paulus loquitur, fierent, quales sunt, quæ describuntur prima ad Corinthios decimo quarto, & prima ad Timotheum secundo. Vsurparunt quoque Apostoli in designandis ministris Ecclesiæ impositionem manuum, quæ retenta ex consuetudine veteris legis, non autem mandata Ecclesiæ, liberè seruari potest. Instituerunt in actis Apostolicis, vt gentes cauerent ab esu suffocatorum, & sanguinis, non vt hæc obseruatio esset inter gentes perpetuò, sed temporalis, & tantisper duratura, dum hic esus non esset amplius offendiculum.

VVIRTENBERG.

diculū. Fatemur & hoc, quod Episcopis liceat, & cū Ec-

SCHOLIA CATHOLICA.

a Verum est, duo hæc instituta leguntur in Euangelio à Christo, sed duo hæc tantum agnoscere non solum traditioni repugnat Ecclesiæ, quæ multo plura confitetur à Christo instituta, vt ex superioribus satis ostenditur, sed etiam ipsi scripturæ, vbi poenitentia, & confessio, sicut confirmatio, ostenduntur instituta à Christo, & obseruata ab Apostolis. **b** Hoc etiam est solis scripturæ adhibere fidem, at in ea ipse Paul. dicit quædam verbo se tradidisse, & non scripto, vt superius visum est, nec rationabile est Apostolos sola ea, quæ ad externam ordinationem Ecclesiæ pertinebant instituisse, sed multo magis, quæ ad internam pietatem, ad Christianos mores pertinent, eos curasse, qualia sunt dies Dominici, & festi in commemorationem beneficiorum Dei, ieiunia, orationes & similia, quis enim dubitare potest Petrum, & Paulum, cum Ecclesiam Romanam fundarent, non multa de ijs suis discipulos docuisse, & commendasse successoribus suis, vt etiam testatur Clemens, & alij Apostolis proximi.

c Primo in veteri lege non legimus impositionem manus in ordinatione ministrorum templi, sed id duntaxat quod de Iosue Deute. vltimo legimus, quod repletus fuerit Spiritu sancto, quia Moyses imposuit manus suas super eum. Ibi itaque manuum impositio in vno Iosue summo videlicet duce, legitur, sed ostensum est etiam ibi magis esse propriam nouæ legis, in qua est plenitudo gratiæ, & Spiritus, quæ impositione manuum significatur, & tribuitur. Deinde quis non intelligit Apostolos, quibus tam familiariter adfuit Spiritus sanctus, nihil in gubernatione Ecclesiæ egisse nisi eius familiari doctrina, de quo dixerat Christus: Docebit vos omnem veritatem, vt merito credamus, quod sit in ordinatione Sacramentum esse, vt testantur antiqui patres, atque ideo à Christo institutum, siue id in carne degens, siue per Spiritum sanctum docuerit Apostolos. Denique quum temere dicitur, liberè seruari in Ecclesia, quod Apostolos legimus seruasse, & totam Ecclesiam post illos tanquam ab eis traditum tenuisse pro Sacramento.

d At neque Christus præcepit, vt pascant oues prælati cum coru consensu, sed pro arbitrio suo consonæ doctrinæ Christi, & Apostolorum neque quum Paul. iubet præpositis obedire addit, in ijs, quæ cum consensu Ecclesiæ instituerit, salus Ecclesiæ querenda est, & consideranda, non consensus, nec iura ipsa canonica, & concilia, quæ aliquando quædam restringunt in vsu potestatis prælatorum, vsquam legimus hoc præcepisse.

eleſiæ ſuæ cōſenſu, ordinationes^a dierū, feſtorum, & le-
ctionum, ſeu concionum ad ædificationem, & eruditio-
nem veræ fidei in Chriſtum inſtituere. Sed nō licet ob-
trudere Eccleſiæ ritus veteris legis, pro ſacro diuino, quo
Deus ſingulariter^b per ſe colatur. Nec licet vel veteres
ritus legis reſtaurare, vel novos comminiſci, ad adum-
brandam veritatem Euangelio iam patefactam, & illu-
ſratam. ^d Quales ſunt, interdū accendere cereas, ad ſi-
gnificandam lucem Euangelij, aut vti vexillis, aut cru-
cibus, ad ſignificandam victoriam Chriſti per crucem.
^e Quod genus eſt vniuerſa panoplia veſtium miſſilium,
quam aiunt adumbrare totam paſſionē Chriſti. Et mul-
ta id genus alia. Multo minus licet inſtituere cæremo-
nias, aut ſacraſ quorum meritis expientur peccata, & ac-
cipiatur regnum cēleſte. Nam de priori illo genere cære-
moniarum, & ſacrorum Chriſtus ex^a Eſaiā conciona-
tur: Fruſtrā, inquiens, colunt me, docentes doctrinas,
præcepta hominum. Et Paulus: Ne quis vos iudicet in
cibo, aut potu, aut in parte diei feſti, aut nouilunij, &c.
His accedunt teſtimonia Auguſtini, & aliorum de^b li-
bera talium cæremoniarum obſervatione. De poſteriori

SCHOLIA CATHO-
LICA.

^a Quare non & leiuniorum, ac abſtinentiæ dies inſtituere, poterunt
ſicut de eleemoſynis, & cæteris pijs operibus nonnulla ordinare, ni-
miū videmini Episcoporum auctoritatem reſtringere, & reipſa hæc,
quæ illis hoc loco permittitis, reieciſtis ab Eccleſijs veſtris, ſtatuentes
pro arbitrio quiſque quod ſibi plauſibilis fuerit, denique in totū ab-
reiciſtis Episcoporum auctoritatem, niſi fortē Episcopos vos putetis ha-
bere, nam & videmini cautiū nomine ſuperintendentium vtī, quod
omnium eſſet maxime temerarium.

b Hoc

b Hoc nec in ipſa veteri lege, vt in aſſertione catholica diximus, erat,
nō enim quaſi per ſe gratos ritus illos requirebat Deus, ſed propter ſi-
gnificationem, ſacrificiū inquit Pſalmus, & oblationem noluiſti, quod
non minus de cæteris dici poteſt, hoc igitur membrum vobis iam da-
mus, nō licet veteris legis ritus tanquam per ſe Deo gratos reſtaurare,
c Hoc nimium imperioſe propoſitum nec probatis, nec vlla ratione
probari poteſt: cur enim quod credimus corde non licebit exteriori ſi-
gno ſignificare: ſicut non ſolum licet, & expedit ore conſiteri: ſed dici-
tis non licet adumbrare, quod iam patefactum, & illuſratum eſt. Hæc
adumbratio non eſt aliud, quā exterior quædam, & oculis exhibitā
propter tardiores manifeſtatio. Itaque cū exterior cultus fidē ſequa-
tur, quidquid credimus, merito poſſumus cultu exteriori ſignificare.
d Hoc ipſum Vigilantiæ reprehendebat in Eccleſia, quare miramur pru-
dentes viros voluiſſe cauſam tam apertē damnati hæretici ſuſcipere. Igi-
tur Hieron. contra Vigilantiæ, poſt multa alia de cereis ita dicit: nam &
abique martyrum reliquijs, per totas orientis Eccleſias, quando legen-
dum eſt Euangelij, accendantur luminaria iā ſole rutilante, non vtiq;
ad fugandas tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum, multa
ibidem de ijs, inter quæ & hoc addit, quod ſi aliqui propter imperitiā,
& ſimplicitatem hoc faciunt pro honore martyrum, de quibus dicere
poſſunt, quod zelum Dei habent, ſed non ſecundum ſcientiā, quo oſtē-
dit etiam, quæ non habent magnam rationem, condonanda eſſe ſim-
plicitati fidelium.
e Hoc liberitū dictum, quia nulla vera ratione, & tamen magna auctoritate,
hæc omnia reijciſtis, & propter illa receditis à catholica Eccleſia,
in quibus nihil aliud mali oſtendiſtis, quā quod ſignificamus paſſio-
nem Chriſti externis ſignis, ad excitandum in ea fidē noſtræ deu-
otionem, quid verō rationabilius quā vt hoc agamus?
f Fatemur, vt in confeſſione catholica eſt, nullum hominem poſſe da-
re exteriori ei virtutem remittendi peccatum, ſed hoc habent à Deo
omnia pia opera, ſicut & meritum vitæ æternæ, quæ quandoque inſti-
tuuntur in Eccleſijs.
g Quid ſit Deum mandatis hominum colere, & qualiter hic locus
Eſaiæ intelligendus ſit, & in aſſertione catholica hoc loco habes, & in
multis alijs etiam ſuperius, hoc eſt enim vnum eorum, quæ nimis im-
portunē inculcant quotidie iſti conſtitutes, cū tamen nunquam ten-
ſum explicent.
h Certe Aug. in epistoſa ad Ianuarium, quæ citatis auctoritate etiam
Amb. docet ſeruandum eſſe morem cuiusque Eccleſiæ, vnde & alibi
ait morem populi Dei pro lege habendum eſſe.

autem

autem genere ceremoniarum, manifestum est, quod ^a sine
impia sacra, & contumeliosa in mortem, & resurrectionem
Christi, cuius solius merito habemus expiationem
peccatorum, & hereditatem aeternae vitae per fidem. Re-
censuimus quae videntur in doctrina Ecclesiastica, & in
vniuersae Ecclesiae administratione tum probanda, tum
refutanda, aut emendanda. Ac si quid breuius, aut obscu-
rius, quam res tanta postulet, dictum est, recipiunt se
concionatores nostri copiosius, & magis perspicue expli-
caturos. Quod reliquum est, oramus per Iesum Chri-
stum filium Dei vnicum seruatorem nostrum omnes pios,
vt quod ipsos sua sponte facere speramus, pro suo quis-
que officio, & vocatione verum, ac seruum instaurandae
Ecclesiae studium ^b suscipiat. Negari non potest, quin
hactenus multis annis non solum disciplina Ecclesiae col-
lapsa ^c sit, & mores eius magnis & horribilibus vitijs cor-
rupti sint, ac à maiorum nostrorum honestate plurimum
degenerauerint, verum etiam ^d doctrina Ecclesiae into-
lerandis corruptelis deprauata fuerit. Quae si deinceps
aut ^e dissimulantur, aut confirmantur, cogitare quisque
vel medioeri prudentia praeditus potest, quanta mala sint
in Ecclesia Domini secutura. Notae sunt dirae, & ma-
ledictiones, quibus Diuina lex violatores verbi Dei de-

SCHOLIA CATHO-
LICA.

^a Vos hoc dixistis superius de ieiunio, elemosyna, oratione, virgini-
tate, abrenuntiatione omnium, & multis alijs, frequenter hanc repe-
tentes cantilenam, ex solius Christi merito esse remissionem peccato-
rum, & propter illud solum nobis vitam aeternam posse contingere,
sed

sed satis etiam nos supra ostendimus, scripturam sacram hoc illis operi-
bus tribuere, quod cum fateamur, ead non à se habere, sed à Christo,
constat nihil derogari eius meritis, sed potius illustrari eum ad nostra
etiam opera extenduntur.

^b Exhortatio haec plena pietatis, & zeli, totiusque mansuetudinis pel-
lis est ouis, & communis omnibus, res igitur attendenda, vt agnosca-
mus quid persuadere volunt, vbi videbitur, lupi sint an pastores.

^c Non negamus non solum à multis annis, sed omni fere tempore ma-
gnam fuisse corruptionem in Ecclesia, sed non ideo defuit in ea virtu-
tum omnium, & pietatis perfectio, abscondente videlicet Deo electos
suos à conturbatione hominum: legamus scripturas sacras, & Ecclesia-
sticas videbimus nunquam defuisse multa, & grauissima crimina, mul-
tos qui fauerent, omnes declinauerunt inquit Psal. & Esaias: à planta
pedis vsque ad verticem non est sanitas: pleni sunt denique libri pro-
phetarum, & historia ipsa, vitiorum populi, sed vt habes in nostris, ni-
hil haec detrahunt sanctitati Ecclesiae.

^d Vnius, aut alterius hominis vel Ecclesiae doctrinam deprauatam nō
miramur, nec magni facimus, sed totius Ecclesiae deprauatam doctrinā
dicere, quid aliud est, quam asserere quod defecerit eius fides? Certè si
illa, quam Apostoli docuerunt, doctrina aliquando suppressa fuit in Ec-
clesia, vt non manifeste, & publice fuerit semper audita inter Christianos,
nos, praeualuerunt portae inferi contra Christum, & Ecclesiam suam,
quo nihil absurdius, nō itaque solum, multis annis corruptam esse do-
ctrinam Ecclesiae, est contra Christi promissionem, sed vel vnicō certē
die, vos verò quanquam id, quod asseritis à multis annis defecisse do-
ctrinam de proximis his trecentis vultis videri dicere, sed re ipsa quae à
mille, & toto tempore praedicata fuerunt in Ecclesia damnatae. Itaque
apud vos nunquam fuit Ecclesia nisi post Lutherum, si vt dicitis sacri-
ficium misse, inuocatio sanctorum, oratio pro defunctis, Sacramentum
ordinis sunt deprauatio verae doctrinae.

^e Peccata quidem nunquam sunt confirmanda, dissimulanda quādo
que, errores verò doctrinae nunquam dissimulandi, dicente Christo,
qui soluerit vnum de his minimis, & docuerit sic homines, &c. qui ver-
rō sunt illi errores: nostri, an vestri, satis est dictum, nos certè experien-
tia videmus quanta iam secuta sint mala in Ecclesia, & in ipsa Germa-
nia, ex quo vestra Lutheri scilicet dogmata ceperunt dissimulari, & cō-
firmari, & quanta secutura sint ex ijs, quae Asia, & alijs orbis partibus,
quae à fide defecerunt contigisse videmus, prudens quisque (vt vos di-
citis) conijcere poterit.

nouet,

uouet. Et Iosias Rex Iudæ, in instauranda Ecclesia plane heroico animo præditus, etsi inuento, & perspecto libro legis pia sua pœnitentia, & obediētia, irā Dei ita mitigabat, vt supplicia, quæ tunc Ecclesiæ Dei neglectiōe verbi eius, & impietate merita erat, in aliud tempus rej- cerentur, ea tamen fuit seueritas Dei aduersus contem- ptōres verbi sui, & impœnitentes, vt Rex, quantumuis pius, non potuerit eam prorsus ē medio tollere, & pla- care. Existimauimus autem iram Dei his temporibus, propter tot horrendas impietates, propter tot infanda scelera, & offendicula, quæ in populo ipso, qui Dei no- mine gloriatur, manifestiora sunt, quā vt negari, & il- lustriora sunt, q̄ vt excusari queāt: nō min⁹ imō multo^b graui⁹ aduersus cœtū Ecclesiæ suę accēsā, et inflāmāā esse, q̄ olim, cū Filius Dei nondū esset per Euāgelion suū orbi patefactus. Ac tantō seuerius erit iudiciū Dei, quātō maiora sunt beneficia, quæ & superioribus, & his præsentibus tēporibus in ingratos cōtulisse videtur. Sed cū alia multa in Ecclesia, et ministerio eius correctione indigēt, tum præcipuē doctrinæ de pœnitētia, iustificatiōe. Vfus^d itē Sacramentorū, & cœlibatus^e ministrorū Ecclesiæ, piā exigunt emendationē. Hæc si iuxta Pro- phetica, & Apostolica scripta, ac iuxta verē catholicum veteris, & purioris Ecclesiæ consensum, beneficio Dei, ac diligentia, & cura optimorum quorumque virorum restituta fuerint, non solum præstabitur cultus Deo pa- tri Domini nostri Iesu Christi gratissimus, verum etiam vniuersus Christianus orbis excitabitur, vt quibus pos- sit officijs gratitudinē, & obediētiā suā sit declaraturus. Nos quidē, nō sumus de nostris cōcionatoribus alicuius erroris, vel in doctrina, vel in reliqua Ecclesiæ admini- stratione, cōscij, attamē nō dubitamus, eos tanta mode-
stia,

stia, & pietate præditos, quin si testimonijs celestis doctri- næ, & vero consensu catholicæ Ecclesiæ admoniti fue- rint, ædificationi Ecclesiæ haudquaquam sint defuturi. Quod autem in nobis, & in nostra est gubernatione, summā dabimus operā, vt adiuuante Diuina clementia, nihil eorum officiorum à nobis prætermittatur, quibus speramus veram Ecclesiæ tranquillitatem, & salutem in Iesu Christo Filio Dei conseruari posse.

SCHOLIA CATHOLICA.

a Hæc sunt communia exempla, quæ vtrique possumus dicere, sed il- lud in tota illa historia populi Israelitici obseruandum, vltimam Dei iram, ex qua ipsorum tribus decem in captiuitatem traditæ sunt, deins- de Hierusalem ipsa, & tribus Iuda funditus deleta, & translata in Baby- lonem, maximē ob infidelitatem, & idololatriā accēsā fuisse, quam diu enim cultum vnius Dei tenuerunt, etsi non defuissent alia peccata admonebantur, flagellabantur, semper tamen quasi filij in domo per- missi sunt. At abiecto cultu vnius Dei, mox in manus infidelium trades- bantur, vt in libris Iudicum frequentissimē legimus, & exitus ipse re- gnorum ostendit. Hæc igitur peccata primō omnium cauenda sunt, quod Iosias ipse, & Ezechias, & ceteri, quos Deo placuisse legimus, & restaurasse Ecclesiam, primō omnium curarunt, vt videlicet idola om- nino deleant, hæreses verō, & noua dogmata quid aliud sunt, quā idola quædam, & figmenta, verē opera manūū hominum, quibus de- diti nec Deum, vt ipse vult, colunt, nec veram fidem retinent, sed pro ea sensum suum, & pro Deo magis Spiritum superbiæ. Itaque re vera nulla verior idololatria, quā hæreticorum, quare nec vllum vitium diligentius exterminandum ab Ecclesia.

b Ira quidem Dei temporaliter, & corporaliter flagellans, nonnunquā in totam Ecclesiam propter peccata impiorum sæuit, sed hæc pijs, qui in Ecclesia semper sunt, magis est flagellum paternum, & correptio, at- que purgatio, & profectus spiritualis. Iuxta id, quod in Psalmo est: Si autem dereliquerint filij eius legem meam, visitabo in virga iniquita- tes eorum, &c. misericordiam autem meam non dispergam ab eo. Cæ- terū in totam Ecclesiam idem iram repellentem à facie Dei & proij- cientem à sua gratia non permittit nos credere exarsisse, aut exarsuram vnquam charitatis illa, qua Christus dilexit Ecclesiam suam, & tradidit semetipsum pro ea, & promissio sua, omnibus diebus vobiscum sum, vltique ad consummationem sæculi.

• Vide

e Videtandem, quod illa omnia tendunt, doctrinam poenitentiae, & iustificationis, volunt corrigi precipue, quod primo loco ponunt. In hac vero doctrina duo sunt questionum genera: primum est de nominibus. & vocibus, ut sola fide iustificari, peccatum originale manere post baptismum, nulla opera nostra iusta esse, sic ut possint coram tribunali Dei stare, nullam esse satisfactionem, nullum meritum aliud quam solum passionem, & satisfactionem Christi. In ijs magna contentione, & conatu Lutherus, & sui clamant, se illustrasse gloriam Christi, nos catholicos obscurasse, sed hoc audemus de his aperte testari, si recte intelligatur catholicorum doctorum, grauius videlicet, & qui digni sunt in auctoritate haberi, sententia, id videlicet, quod asseruit antiqua Ecclesia ante Lutherum, multo magis illustrat Christi gloriam, quam quae illi tradunt, nec quidquam aliud illi afferunt, quam diuersitates quaedam nominum, quae si recte expendantur, non inueniuntur in eis nisi obscuritas, & tenebrae, nec quidquam ipsi inuenient solidi circa haec in nostris quod reprehendant, nisi quod nonnulli forte de gratia Dei minus admonuerunt populos, cum intenti fuerint maxime urgendis pigris animis ad bona opera, quod ipsi Chrysostomus accidisse videmus, quod doctrinam illam necessitatis gratiae tanquam certam, & omnium cordibus firmam putarunt, non opus esse magis inculcare, quae tunc maxime docenda est, cum fides fundatur, postea vero instandum exhortationi, ad bona opera, ex ijs itaque fateamur nonnullos forte negligentiores factos ad cogitandam, & inuocandam hanc Dei gratiam. Iam vero omnibus nobis gratum est huius frequenter recordari, & frequenter admonere populos, ut in omnibus semper primo Dei gratiam attendamus, post hoc nihil est certe in tota de hac doctrinalis historia, quam contentio de victoria, de eruditione, quae semper haereticis omnibus fuit familiaris, haec de primo illo genere. Secundum vero questionum genus, quae iam de re sunt, circa hoc illud est: an enumeratio peccatorum necessario debeat fieri in Ecclesia sacerdoti, an ieiunia, & aliae satisfactiones imponendae, & acceptandae, an recogitatio peccatorum in amaritudine animae, & anxius ille dolor pro peccatis sint necessariae, & exigendae: denique alia omnia pia opera, elemosynarum, & orationum, quam sint Deo gratia, & ad aeternam beatitudinem quibus nobis utilia, haec sunt res grauius me, ex quibus magna ex parte salus nostra pendet, in quibus si fiat correctio, quam illi volunt, quid aliud erit, quam ut a manifestandis peccatis liberis reddamus omnes, nulla curetur satisfactio, nullum ieiunium, minima habeatur ratio doloris, & contritionis, ut sine ijs omnibus, certa fide, praeter haesitationem credant omnes, sibi remissa peccata, ex sola fide apprehendente Christi meritum, & post mortem statim se euolaturum in celum. Rogo cogita, quae correctio haec, quam utilis Eccle-

sue

sue & grata Deo, aut quid aliud per eam habetur, quam ut laxis habitus timoris Dei, & verecundiae concedatur licentia omnibus desiderijs carnis, & mundi. Quis non videt, quantum praeseruet a peccatis, & contineat Christianos confessio illa peccatorum, satisfactiones, atque contritio, & denique timor semper sollicitans, quando post illa omnia non audent se iustificatos dicere? Haec est igitur prima pars correctionis, quam petunt in Ecclesia: audiamus sequentia.

d Hoc est secundum quod reformari volunt, in quo si memor sis supra dictorum, qualem volunt, reformationem intelliges: Matrimonium, ut humanum omnino contractum, tractari volunt, atque ita pro arbitrio legum contrahi, & dissolui. Sacramentum ordinis nullum esse, sed sufficere, ut populus nominet ministros: Confirmatio, & extrema unctio concutuntur cum omni christumate, & sacro oleo. De poenitentia iam dictum est. Baptismus vero, & Eucharistia, quae restat per hoc, volunt simpliciter, ut illi dicunt, et nudè, ita ut rejiciantur omnia, quae ab Apostolis per totum orbem semper seruauit Ecclesia. Haec est secunda pars reformationis.

e Hoc est vltimum quod corrigi volunt, coelibatum ministrorum Ecclesiae, sed quanto honestius dixissent corrigendam immunditiam, & inhonestatem ministrorum Ecclesiae, & dixissent, puto si aduertissent, ut ita tegerent, ut solent, animum suum, sed permittit Deus, ut apertius dicerent, quod re vera intendunt. Coelibatus eis displicet, quia dicunt se vri: Concubitus quidem iuxta eos non negatur esse peccatum, sed quanto grauius promissio coelibatus est enim grauius error, quod hoc promittatur tanquam cultus Deo gratus, atque ita genus quoddam idololatriae, & falsi cultus, quo nihil grauius. Nos vero primum fornicationes, & immunditiam ministrorum Ecclesiae emendata cupimus, restituta antiqua seueritate Ecclesiae in probanda honestate, & moribus eorum, qui ordinantur, in prohibenda omni familiaritate foeminarum denique in punienda transgressione eorum, quare nulla mentio horum in hac, quam exigunt, correptione, quare in ea nulla mentio de frenanda auaritia, vfuris, & illicitis contractibus, quibus totus corrumpitur mundus, rejiciendis, quare nihil de luxu, & tyrannide eorum, qui in potentatibus sunt, dicunt, de simonia, de auaritia, & ambitione coercendis, denique & de ebrietate, periurijs blasphemijs, ceterisque perniciosissimis vitijs populi, quae tam impune committuntur in Ecclesia, emendandis, cur nihil loquuntur sed commemoratis omnibus, cum ad correptionem venit, haec tantum, quae diximus, adferunt, timuerunt forte, ne si illa dicerent, & principes suos, & populos offenderent, aut certe quod maluimus credere, dum nihil magis cordi habent, quam suos errores, obliuiscuntur omnium aliorum, Deo ita permittente, ut agnoscas, quam pulchra sit, quam illi cupiunt, correptio, quae merito corruptio

T

magis

SCHOLIA CATHOLICA.

magis dici possit, qua sublati repagulis omnibus, & muris pateat aditus huic vestre Evangelicæ libertati.

¶ Vos testimonium perhibetis de vobis ipsis, nam auctores estis horum verborum, quamquam illustrissimi principis vestri nomine dicantur, & quidem de eo tam generosi sanguinis, & rati præauorum serie illustri principe, non est cur dubitemus, quod secundum conscientiam agat, si conscientia illi ostenderet errores vestros, non sequeretur, quare via demur nos multo magis coram Deo teneri, ut veritatem, quam ignorat, manifestius illi de vobis dicamus, coram vobis etiam, & coram omnibus alijs, qui legerint in hac vestra confessione, ut omittamus, quæ subtiliori egent discussione, de quibus superius actum est, ut omittamus, quod in ea pessimi schismatis, & confusionis, omnium quæ in Ecclesia sunt semina spargitis, dum nec certam Ecclesiam, nec certum pontificem, nec denique certos iudices controversiarum fidei, & dubiorum scripturæ sacræ admittitis, hoc prætextu, quod ad nullum certum genus hominum Spiritus sanctus est restrictus, neque scripturæ intelligentia certis limitibus minimum coartata. Vrgitur hæc omnia omittamus, audite quorum iam diu ab Ecclesia damnatorum hæreticorum discipuli sitis manifestissimi. Estis primò Aeriani, qui teste August. lib. de hæresibus, asserunt non esse ferendum, vel orandum pro mortuis: non seruanda statuta in Ecclesia ieiunia, Episcopum non differre à presbytero. Horum duo vos aperte docetis, tertium de ieiunio occultius, ut supra notatum est. Estis Iouiniani, & re vera multo acriores inimici virginitatis, & celibatus, quam Iouinianus, iste teste August. eodem lib. de S. Virgin. & Hiero. in libris ex professo contra eum editis, matrimonium æquavit virginitati, & celibatui, vos hoc idem asseritis aperte, sed quasi id parum sit, additis, non posse hæc Deo promitti, sed ingrata esse, & blasphema vota de ijs, ille celibatum non propter meritum aliquod apud Deum, vel propter futuræ seculi beatitudinem, ad quæ nihil putat prodesse, sed propter tranquillitatem maiorem, & expeditionem à molestijs sibi elegit, vos autem elegistis matrimonium, cum molestijs illis, & oneribus grauius, & conamini asserere expedire Episcopis, & ministris Ecclesiæ matrimonium, quasi hoc Paul. docuerit, nihil itaque patres illi infestati sunt in Iouiniano, quod vos non asseratis duplo quam ille, ut impleatis iuramentum patrum vestrorum. Estis & Vigilantij discipuli, nam ut omittam, quod vos eludere conamini, quod ille volebat inuocari sanctos, vos enim dicitis quod volebat honorari, cum re vera honorem istum inuocationis sui rationibus damnaverit, & hoc ipse Hier. contra illum probat honorandos esse, & inuocandos. Sed hæc omittamus, vos enim, ut apertius eius discipulos vos ostendatis, blasphemias contra sanctos, calumnias contra eorum cultum, quas Hier. in Vigilantio reprehendit, asseritis, ap-

pellante,

SCHOLIA CATHOLICA.

138

pellantes eos mortuos homines, irridentes quod putentur agnoscere orationes nostras. Denique asseritis non licere reuelata Euangelij luce accendere cereas, quod ille pariter assererat, vti iam ostendimus. Denique & cum illis hæreticis sentitis, quos Bernardus in quodam sermone super cantica talibus lineamentis denotat: videte canes, videte detrectatores, irrident nos, quia baptizamus infantes, hoc non pertinet ad vos, sed quod sequitur, quod oramus pro mortuis, quod sanctorum suffragia postulamus, non credunt ignem purgatorij restare post mortem. Si igitur in vobis est tanta modestia, & pietas, quantam ipsi dicitis, aut principem vestrum dicere scribitis, non debetis molestè ferre quam sincere dicamus, & communia, quæ in doctrina vestra reprehensibilia sunt, quæ tantopere pertinent ad doctrinam Euangelij, in qua quod aliter dicere non possumus. Non certè rectè ambulatis, nec cum Aug. Hier. Bern. & cæteris patribus, sed cum Aerio, Iouiniano, Vigilantio, manifestis hostibus Ecclesiæ, iam diu damnatis, & cum recentioribus Ioanne Hus, Vicleffo, denique Luthero, nos enim parati sumus & audire, & corrigere quæ nobis probata fuerint minus conuenire eam vero sensum patrum.

¶ Et huic testimonio credimus, sed ut iam ad te vltimò conuertamur Dux illustrissime, cui in principio locuti sumus, & cui primò hæc nostra militat, hoc igitur testimonium tuum fide dignum suscipimus, non dubitamus quod quæ facis circa religionem speres tranquillitati Ecclesiæ prodesse, sed audi obsecro quod sincere dicimus, deciperis, proculdubio imponitur tibi ab ijs, qui humanitate tua, in genuitate, atque candore abutuntur, deciperis quam diu speras concilij auctorum huius confessionis aliquid posse conferri tranquillitati Ecclesiæ, falleris, quia homo es, & falli potes, patere ut hoc dicam de te, circa ea in quibus nec es, nec pro officio teneris esse doctus, & consummatus, quæ doquidem & tui hoc de sanctissimis, & doctissimis patribus passim dicunt, sicut igitur deciperis, cum credis eos nullum errorem asserere, ita & cum hac via, & istis consilijs putas Ecclesiam iuuare, sed multo attentius obsecro per Christi viscera audi, quod ego in eisdem etiam quam possim attentissimo animo, & certè tibi quantum fieri potest subdito, loquor ad te, non putes te hac tua credulitate, & conscientia coram Deo excusari: hæc enim tanta rerum perspicuarum incogitantia, aut ut aperit dicam inconsideratio, non te immunem reddit coram Deo. Palam est tuos discessisse ab Ecclesia, docuisse contraria eorum, quæ prauitui & antecessores omnes, à suscepta fide Christiana, cum cæteris omnibus Christianis crediderunt, cuius habes etiam monumenta in monasterijs, & Ecclesijs amplissimis ditionis tue, pietatè maiorum tuorum erectis, & locupletatis, ab hac fide discesserunt isti tui doctores, & tu seque-

T : ris

riseos in ea discessione, à qua quis prudens discedit, nisi forte certissima, & indubitata ratione probata fuerit falsa? Quam si putas asserere tuos, adverte saltē, quod si tibi ita videtur, multis & maioribus, & inferioribus te principibus videtur contrarium, & in Germana, & in vniuerso orbe Christiano. Hęc igitur dissensio, circa fidem, principum, & populorum, non ab ipsis, aut potest, aut valet definiri. Si igitur ab illis ad doctores reuertamur, credis tuis, sed sunt alij, nec pauciores, nec vltimo nomine inferiores, quibus contrariū asserentibus credunt alij principes, quod igitur ad viuentes doctores attinet, manet eis dubia, confusio igitur ad antiquiores, & mortuos, quorum & eruditio, & sanctitas Ecclesie semper cognita fuit, Hier. dico, Atha. Chry. Cyril. Aug. Amb. & alios, hos ostendimus apertissime multa dogmata tuorum, tanquam contraria fidei damnasce, nolumus tamen nobis dari fidem, neque illis patribus. Hoc tantum rogo, nonne illorum patrum, testimonia, & nostra meritō, saltem dubiam efficiunt apud prudentes, sed expertes lectionis, & doctrinę patrum, nouam hanc tuorum doctrinam? nonne meritō eos suspectos saltem falsitatis, & erroris reddent tanta testimonia? quis verō putet excusari illum, qui propter dubia, & incerta testimonia ab antiqua, & vera fide recedit? Sit igitur saltem dubium apud te in hac confessione, esse errores damnatos ab Ecclesia, sit dubium tuos doctores sequi damnatos hereticos, atque ita dubia sit eorum doctrina, propter dubia igitur non recedas ab antiqua Ecclesia, si non vis te exponere graui periculo, suspende iudicium, & studium tam ardens fauendi huic doctrinę, ne adigas subditos tibi ad sequendum quę merito dubia sunt, saltem agnosce opus esse in hac re illustrationē Diuinā, recurre supplex ad Deum, non præoccupatus affectu huius doctrinę, sed verē anxius pro salute tua hac agenti in veritate, & corde perfecto, aderit sua misericordia Deus (ut spero) alioqui tanta certitudine, & securitate sequar dubiam fidem, tu ipse optime Princeps expende, qua ratione apud Deum excusari possis. Sed ais nullam rationem hęc dubia esse, credam, sed certissima, nimium inhumanus est certē, quicunque hoc dicit, nec cogitare possum te hoc esse dicturum. Quod enim tot testes negant, quod affirmant nec minori auctoritate, quā non dubium erit? Sed esto: posset verum esse, quod vestri dicunt, negantibus nobis, & sanctis patribus, sed quomodo esse poterit certum, & indubitatum? Dubia igitur saltem sequimini, & quę nisi inhumani sitis, non potestis non fateri incerta esse, & propter hęc receditis ab antiqua Ecclesia, imō in re dubia saltem, & antiquos, & sanctissimos patres relinquitis, sequentes novos doctores. Quanto cautius agunt, & quanto tutius, qui post antiqua testimonia patrum, post confirmatam tot annis fidē, nulla ratione in dubium apud se vocari permittunt, quod constat nullo publice

blicē contradocente, in Ecclesia tanto seculorum consensu receptum? Hęc igitur, quę magno salutis tuę desiderio optime Princeps scribo, accipe etiam candido animo, & cogita, atque expende apud te, dabit Christus lucem, qua agnoscas illum pastore, quod nos ardentibus votis cupimus, atque precamur.

DE CÆREMONIIS ECCLESIASTICIS.

CATHOLICA.

ET si de cæremoniis, & ritibus catholicis satis sit dictū, & ab ijs consentientibus, & à nobis, ut tamen sequamur eos, enumeranda sunt hic in fine, quę sana fides docet. Agnoscit igitur Christianę fidei obedientia, illos esse primos ritus, & maximē necessarios, quos Christus instituit, necessarios, inquam, illis personis, & articulis temporum, quibus disciplina Christiana docet necessarios esse, in ijs verō eadem fide agnoscimus, esse non tantum duo illa, quę apertē legimus in Euangelio, Baptismum scilicet, & Eucharistiam, sed etiam poenitentiam, & confirmationem, quę ipsis Euangelicis, & Apostolicis literis satis indicantur, & reliqua, quę superius diximus, Sacramenta, quorum etsi vel nulla, vel modica in scriptura sit mentio, certa tamen Ecclesię traditione, & auctoritate à Christo instituta credimus, inter quę etiā est impositio manuum, qua ministri Ecclesię ordinantur. Agnoscit etiam eadem fides, Apostolos, quibus gubernatio Ecclesię commissa fuit, à Christo, præter illa, quę ab ipsa tradita promulgarunt, & declararunt fidelibus, multa alia instituisse in Ecclesia, etiam præter illa, quę ad tranquillitatem, & pacem, externumque ordinem seruandum pertinent, qualia sunt, quę de sanguine, & suffocato in Actibus Apostolorum, & de ordine prophetandi, vel loquendi linguis in Ecclesia, in priori ad Corinthios Pauli epistola legimus. Præter hęc, inquam, alia etiam instituerunt ad cultum Dei, & salutem fide-

lium, quædam speciali Spiritus sancti instinctu, nonnulla multa deliberatione, & prudenti consilio, vel ex vetere lege, vel aliqua conuenienti ratione, semper tamen Spiritu sancto, qui illis familiariter aderat, suggerente, & hæc necessaria ratione creduntur esse omnia, quæ toto terrarum orbe seruat Ecclesia, totoque tempore ab initio ipso prædicationis Euangelicæ, ita ut nunquam principium eorum legamus, ut dici Dominicæ observatio, & annua resurrectionis Christi, Ascensionis, & Auentus Spiritus sancti celebritas, & Quadragesimæ, ac Quinquagesimæ observatio, alia in ieiunio, & luctu, alia in lætitia. Credit etiam eadem catholica fides, quod Episcopis, qui successores sunt Apostolorum, quique post illos & magisterio eorum Ecclesiam gubernare habent, licet cum prudenti deliberatione, & consilio, etiam sine ampliori consensu suæ Ecclesiæ ordinare ritus, & ceremonias, & ad pia quædam, sanctaque opera, & exercitia subditos suos obligare, cum id vel necessarium, vel expediens saluti suorum videbitur. Circa hos igitur ritus instituendos, auferendos, vel mutandos, nihil salubrius dici potest, quam quod Augustinus in secunda epist. ad Ianuarium, 119. cap. 18. docuit: Quod videlicet quidquid non est contra fidem, vel bonos mores, & habet exhortationem aliquam ad pietatem, non solum non est reprehendendum, quum instituitur, sed imitandum etiam, præcipue inquit ille, si habet exemplum in scriptura, ut est illud de Hymnis, & Psalmis canendis. Hoc itaque sit primum genus eorum, quæ à praelatis institui possunt in Ecclesia, iam illa, quæ ex diametro cum ijs pugnant, quæ scilicet contra fidem, & bonos mores sunt, nec institui, nec tolerari debent. Media verò sunt inter hæc, quæ quanquam non

sunt

sint contra fidem, vel bonos mores, vix tamen, aut nulla omnino rationabilis causa eorum inueniri potest, aut utilitas, sed quasi observatio Sacramenti traduntur, quæ nec instituenda sunt de nouo, nec toleranda, quum sine scandalo auferri possunt. Nam propter infirmos, & turbulentos, inquit ille, multa toleranda sunt. Igitur ritus veteris legis, tanquam per se illis colatur Deus, restaurare in Ecclesia, certum est perniciosum esse, nunquam enim neque tempore legis veteris, habiti sunt eo loco, ut per se Deo placerent, sed siue ex lege vetere, siue aliunde desumi potest cæremonia quæcunque, qua veram fidem adumbramus & significamus, ut thus, luminaria, vestes sacræ, & eiusmodi. Nihil verò instituere possunt praelati auctoritate sua, quo expientur peccata, vel acquiratur æterna vita, sed bona opera, quæ ex Christi institutione hoc habent, ut ieiunia, eleemosynæ, praelati præcipere possunt, ut expedire viderint. Cuius igitur secundum doctrinas & præcepta hominum solus ille dicendus est, qui fidei non consonat, sic etiam veteris legis per Christum, & Euangelium mortificatio eo pertinet, ut eius cæremoniæ non sint tanquam necessariò seruandæ, nec tamen ita reiiciendæ, ut quod iuxta Apostolicam formam ex eis disciplinæ Christianæ conueniens est, desumi non possit, propterea non immolamus vitulos, nec offerimus sacrificiū zelotypiæ, sed thus, & luminaria accendimus, offerimus panem, ieiunamus, & eiusmodi. Igitur quanquam circa ritus, qui diuersimodè in diuersis Ecclesijs obseruantur. Augustinus doceat liberum esse Christiano quandoque obseruare, vel omittere, manifestè tamen idem docet teneri quemlibet obseruare morem Ecclesiæ, in qua versatur. Itaque liberam habent hæc obseruantiam iuxta Augustinum, ita videlicet

delicet vt in alia Ecclesia alterius consuetudine non teneamur, nec propter scandalum solum seruanda sunt statuta praelatorum, sed etiam propter conscientiam, iubente scriptura: vt omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Et iterum: Obedite praepositis vestris. De ijs verò piorum operum exercitijs, quæ ad expiationem peccatorum, vel meritum vitæ æternæ sunt, non est dubium. Quod si quis dixerit, posse aliquem hominem cōferre virtutem alicui, vel externæ rei, vel operi remittendi peccata, vel vitam æternam consequendi, iniurius sit, & contumeliosus Christo, & passioni eius: hæc potestas est propria Christi, qua vsus est in Sacramentorum institutione, hæc virtus passionis eius, quæ operatur in iisdem Sacramentis. Sed negare cuncta opera pia, hanc habere virtutem à fide, & charitate, qua emanant, & à passionis Christi, quam participant, & cōtra ipsam scripturam est, quæ de elemosyna, ieiunio, & oratione inquit: Pater tuus reddet tibi, & de cæteris omnibus merces vestra multa est in cælis, & c. Et non minus iniuriosum Christo, cuius bonitatis immensas diuitias angustat. Afferuimus catholicæ Ecclesiæ fidem, circa ea duntaxat, quæ continet confessio ista. Egimus hoc quantum in nobis fuit bona fide, sed minore eruditione, & dexteritate, quam res ipsa, fidei scilicet causa postulabat, & ab alijs præstari poterat. Potuerūt multa lucidius, & efficacius, dici, sed offert quisque in Ecclesia quod potest, propter id, quod minus est, offerimus nos paratos explicare ijs, quibus respondemus, & cunctis poscentibus, si quid obscurius, vel minus plenè sit dictum quantum possumus, & quod non possumus, cum eis pariter quierō, & pacifico animo inquirere, non dubij reuelaturum Deum, quæ nobis desunt permanentibus in eis

in eis fidei catholicæ dogmatibus, in quæ pertinemus. Cupimus enim implere Apostoli Petri præceptum, & parati esse ad satisfactionem omni poscēti, nos rationem de ea, quæ in nobis, est spe & fide, sed cum modestia, vt ille præcipit, & timore conscientiam habentes bonam. Iam superest admonere omnes, & per tremendum iudicium Christi, & salutem suam obsecrare, vt cautè sese in tanta causa gerentes, nulla specie virtutis, nulla suauitate verborum pietatem præ se ferentium, nulla ostentatione zeli, reparandæ Ecclesiæ, & erigendæ collapsæ disciplinæ, nulla corruptorum morum deploratione, nullo denique colore timoris Diuinæ iræ, iam iam imminentis Ecclesiæ, propter horreda scelera nostra permittant se ab Ecclesia, ab eius auctoritate, & vnione tantillum abstrahi, vt vel incipiat eis minus placere catholica Ecclesia, vel dubitent quæ illa, aut vbinam sit, quam proculdubio Deus constituit ciuitatem supra montem, quæ abscondi non potest. Illa omnia vestimenta sunt ouium, quibus nonnunquam truculentissimi lupi obteguntur, omnes & pastores, & lupi illis nos commendamus ouibus, & illa simplicitatis, quæ in eis est, similitudine, aditum ad eorum animos præparamus. Nam & Paulus, inquit, ad Rom. 15. de seductoribus, qui per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium. Communia sunt igitur illa omnibus, amor Ecclesiæ, odium corruptionis morū, disciplinæ reparandæ zelus, inquisitio veritatis, & scripturæ sacræ studium. Hæc, inquam, omnibus communia sunt, quanquam solum alterutris veraciter conueniant. Nullum verò certius spiritus erroris signum, quam quod ab Ecclesia separat. Quum enim, vt Paulus inquit, & experientia docet, hæretici omnes omnia agant, vt discipulos abducant post se, id quod fieri

nō potest, nisi abstractis ab Ecclesia, hoc semper agit omnis aliena doctrina, ut scilicet ab illa tandem abstrahat. Id verò non apertè, neque statim agunt, sed occultè potius, & paulatim, ut meritò de hæresi illud Prouerb. 9. intelligatur: Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius. Ideoque necesse est magna attentione animi, & circumspectione, magna integritate sensus, ne videlicet in extremum aliquod, in quod semper hæreses declinant, relicta media, & regia catholicæ fidei via, toti, & præcipientes feramur. Habet enim semper colores maximos ex scriptura, ex ratione, & auctoritate extremum illud, quò declinant hæreses, quare nisi adhibeatur frænus, & habeatur ratio medij, difficile est nō incidere in illud, si enim, ut exempli causa dicamus, liberalitatem quis laudet, illamque persuaadat omnibus, auaritiam tãto conatu vituperans, ita ut omnem rapiat animi attentionem, in huius turpitudinem, & illius honestatem, nōne difficile erit huic non labi in extremum prodigalitatis vitium, nisi magna attentione mediocritatem virtutis respexerit? Non secus certè in hac causa doctrinæ contingit, dum enim nimio quodã conatu hoc cœperunt errantes agere, ut vnum extremum euitarent, non habita medij consideratione, inciderunt in aliud, ut Sabellius deuitans Arii inæqualitatem personarum identitatem docuit, Pelagius naturam malam Manichæorum fugiens, negauit peccatum quod ex Adã contrahimus. Quod per omnes hæreses facile est ostendere, sed omittamus illas, & de hac præsentium temporum, quæ tam diu Ecclesiam torquet contentione loquamur paucis. Cœperunt iam diu nonnulli corruptionem morum in Ecclesia dolere, cœperunt illam quasi manifestam iam, & intolerabilem apud omnes traducere, & dum nimij in consideratione manifestorum

florum criminum, & degenerationis à prima illa Ecclesia sunt, eò breuise, & sequaces deduxerunt, ut Ecclesiã illã esse, & illos veros eius prælatos, qui tantopere à sanctitate defecerant, omnino negarent, quod faciliè etiam deprehendi potuit, & vitari: Satanas verò, qui quotidie ad malitiam cautior est, ac semper noua addit prioribus nostro hoc tempore, idem etiam, sed cautiùs agit, nunc enim rursus hoc prætextu fucum facit simplicioribus, & pijs, per suos ministros Lutherum, & sequaces, dum corruptionem morum, disciplinæ lapsum proponentes omnibus, & nimium eos huic rei intentos reddentes, agunt, ut etsi propter peccata, neque Ecclesiam, neque eius ministros verbis negent, tamè incipiant eis contemptibiles esse, incipiant displicere & ipsi, & sua omnia. Vnde & iam inobedientiam, & contemptum eorum meditentur, quibus sic præoccupatis, & veluti fascinatiis, multorum verborum pietatem ostentantium prestigijs, faciliè persuadent corruptam esse doctrinam, & obductam tenebris Euangelij lucem, proque ea receptas meras nannias, & imposturas hominum, quibus omnia plena esse dicunt, & certè mirandum simul, & desolandum est, quòd hæc & audiantur, & suscipiantur ab ijs, qui Christi promissionibus crediderunt, quibus ille stabilitatem Ecclesiæ suæ usque ad finem seculi promittit, & audent publicè dicere, qui fideles dicuntur à trecentis annis omnia corrupta esse in Ecclesia, & nunc demum, post tam longas tenebras, per Lutherum effulsisse Euangelij lumen, & hoc quidem in principio, at post parum videbis etiam hoc ipsum, quod damnant non à trecentis, sed à mille quingentis annis, semper fuisse in Ecclesia, quare nō verentur totam eius antiquitatem damnare, quod quid aliud est quàm Ecclesiam perijisse, aut certè sepultã fuisse alicubi

se alicubi: unde nunc à Luthero exciterur, vt videlicet abscondita fuerit lucerna illa Christi super candelabrum posita omnibus vsque nunc, & iam solis discipulis Lutheri lucere coeperit. Obsecramus igitur rursum per Christum omnes, vt ita peccatorum multitudinem, morumque corruptionem aspiciant, vt nō propterea à medio declinent, non in tam perniciosos recessus extremorum deflectant, aduertant in Ecclesia frequentissime abscondisse peccata, & manifestiora fuisse virtutibus, atque numero, & potētia cōculcatos, & superatos pios ab impijs. Aduertant clamasse hoc sepius Prophetas, & patres, nec tamen propterea aut cōtempnissse Ecclesiam, in qua tanta erant peccata, aut ab ea recessisse eos legimus, quin potius quum ardentissimus ille zelator Elias æstu quodam feruentis animæ eō ferretur, vt quasi putaret defecisse cultores Dei, & ideo sibiipfi arbitraretur derelinquendum populum, & ad deserta secedendum, Prophetas tuos, inquit, occiderunt, & derelictus sum ego solus, audiuit relictos esse septem millia, qui non curuauerant genua sua ante Baal. Atque ideo redire iubetur, regemque vngere, & Prophetam, quem loco sui relinqueret. Hoc itaque est medium catholicę fidei ante oculos habendū: in Ecclesia malos, nihil nocere bonis, sed tanquam paleam in area ipsos occultare, & quodammodo custodire. Quod si bonis non nocent, multo minus Ecclesię, quę semper sancta, semper perfecta, pro mensura huius vię permanet, vt verissimum sit illud Canticorū, Nigra sum, sed formosa, & in Psalmis: Omnis gloria eius ab intus. Denique sicut neque bonis, neque Ecclesię nocent peccata, vt propterea pereāt, ita neque veritati doctrinę publicę detrahunt, hanc enim nulla malitia hominum vnquam auferre potest, vt vel non sit, vel non luceat omnibus,

nibus, qui in domo sunt. Sit igitur in nobis, si cupimus medium tenere peccatorum, & vitiorum, odium, & compassio peccantium, vt quos pro officio, & viribus nostris corrigere nō possumus, toleremus gemētes, atq; affectu longē ab eis separati, Sacramentis, & orationibus Ecclesię communicemus illis, quamdiu ab ea sustinentur, & eam sustinent non recedentes. Credamus prædicationē fidei, & doctrinam publicam, quę velut tessera est militię Christianę, semper manifestam & fuisse, & futuram esse, & eandem, quę ab Apostolis per omnes successiones Patrum deducta est vsque ad nos. Hęc, inquam, veritas semper sonat in Ecclesia, vt ad eam tanquam ad pastoris vocem confugiant oues. Cæterum solidę illę virtutes, perfectio, & puritas, quibus Ecclesia Deo placet, sub ijs latent, manifestę etiam per conuenientia opera ijs, quibus ea datur videre, quamuis à carnalium hominum oculis nube peccatorum absconditę. Huius Ecclesię cupiamus esse membra, hoc præ cæteris omnibus precemur Deum, ne in ea agnoscenda vnquam nos permittat errare. Iam clamantibus, vt restauretur Ecclesia, vt tollantur, & emendantur abusus, si nolumus iram Dei incurrere, respondeamus pacificē, & quietē, vt caueant ne dum vident festucam in oculo fratrum, trabem, quę in oculo suo est, non aspiciant, videant, inquam, ne forte quum dicunt Ecclesię: sine eiiciam festucam de oculo tuo, ipsi trabem in suis oculis habeant, sed non sunt, inquit, festuę, tanta peccata, auaritia, superbia, spurcię, &c. Verum est, non sunt parua in se, sed quanto maiora, hæresis, & schisma: certe quanto maior, & prior fides virtutibus cæteris: quanto finis præstat medijs, quanto denique fundamentum omnibus superædificatis, cæterę virtutes veluti parietes sunt, aut columnę Ecclesię, at si-



CATHOLICA

des primum fundamentum. Auaritia igitur deiicit pulcherrimum parietem contemptus terrenorum omnium, & intentionis celestium, inhonestas euertit pulchritudinem castitatis, & sic cetera vitia virtutes contrarias destruunt, veluti pulcherrimos parietes. Ac schisma unitatem impetit vitam ipsam & cor dissoluit, hæresis fidem, & fundamentum deiicit, ita ut cetera simul pereant, & nihil omnino maneat virtutis, quantumvis ostendatur species eius. Hoc itaque agunt nouissimi doctores, & noui reparatores Ecclesiæ, ut videlicet totam euertant. Errore, a malitia, ut verum fateamur, nescimus, sed neque id admodum refert, quod ad rem attinet, satis est quod Ecclesiam destruunt, siquidem odio eius, & certa malitia, grauissimo apud Deum peccato obnoxij, si errore, ex nimio hoc zelo, non minori damno Ecclesiæ, & sua non minus culpabili inconsideratione. Nam quid rogo inconsideratius esse potest, quam dum eum, qui innocenter patitur ab aduersarijs liberare contendis, tam præcipitem in eos insurgere, tam inconsideratè aggredi, ut cum eis simul, aut certè prius, quam eum quem liberare cupiebas, perdas? Sic isti agunt, dum vitia, quæ in Ecclesia sunt impugnantes, à fundamentis Ecclesiam euertunt. Hoc igitur peccatum maximum est, & præ cæteris iram Dei excitat in omnes, imò estiam grauissimum iuxta flagellum, hoc primò omnium emendari opus est, quod precibus, & vera poenitentia à minoribus apud Deum agendum est, à maioribus etiam diligenti circumspectione, & seueritate disciplinæ. Det Christus seruator Ecclesiæ suæ, & sponsus vnicus, ut vel iam tandem post tam longa flagella affulgeat nobis sua misericordia, quæ det omnibus meliora sentire.

F I N I S.



